4°
Polem.
736.m

Tolem. 736 m

Concordantia

Polem. 736 m

CONCORDANTIA LITTERARUM Z.B.V.E.

Lovanii in Januario 1707.

Et Litterarum HENRICI GRASPER ibidem in sequenti Februario DETECTARUM,

DE VARIIS CONSILIIS ADVERSUS ROMANUM PONTIFICEM,

PRO

P. BERNARDO DESIRANT,

S. Th. DOCTORE,

Historiographo Regio, Historiarum Professore publico, & sacræ Facultatis Theologicæ Regenti seniori &c.

CONTRA

IMPRESSAM RESPONSIONEM

D. HENRICI MALCORPS J. U L. cum suis.

Jam cùm iidem illi, qui priora finxerunt, hæc quoque comminiscantur, quî, quæso, fieri posset, ut non ab iisdem eandem & isthic vanitatem exspectes? S. Athanasius Apol. I. ad Imp. pag. 154. Impress. Lugd.

LEODII, Typis JOSEPHI-LUDOVICI DE MILST.

Cum Approbatione & Superiorum permissu. 1709.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Jam cùm omnia mentiantur, nihilque niſi calumnias adferant, nec in illorum litteris quicquam ſit veri, quàm multiplex putas in hoc conatu ſcelus, & quàm ſcelerati illi haberi debeant? Rem igitur aggrediemur; eorumque calumniis occurremus. **S. Athanaſius Apol. II. pag. 193.**

INCLYTIS BRABANTIÆ ORDINIBUS, PATRIÆ PATRIBUS.

Illustrissimi ac Rev.mi Domini Mœcenates,

Bi de servandâ Patriæ gemmâ pretiosissimâ, unicâ quam Deus unus instituit Romano-Catholicâ Religione agitur, ad nullum potiùs recurrendum, quàm ad Vos, qui indubitati Patriæ Patres *estis. Quòd Ducalis Brabantia, pluribus ex septemdecim Provinciis labantibus, steterit in fide, glorioſissimis Majoribus vestris, ceu Templis Dei, & Spiritûs Sancti organis, Cæli dona resonantibus debemus. Quòd autem eadem Fides hucusque illibata permaneat, ejusdem Cæli donum, & vestra pietas est. Nihil ergò tutius, quàm Provi-*

dentiæ veſtræ exhibere in quonam periculo ſacer ille Theſaurus veſter verſetur, quibuſdam irrequietis mentibus nova molientibus, illique veluti latrunculis inſidiantibus, & ſub externa pietatis ſpecie, obedientiam Apoſtolicam, Fidei baſim, per complures laxitatum errores, vanis rigorum prætextibus palliatos ſuffodientibus.

Parcite, ô! Patriæ Patres, quòd Civis veſter audeam neceſſariâ dicendi libertate uti, & grande illud malum, quod Innocentio XII. judice, in Brevi Apoſtolico ad Belgii Epiſcopos in menſe Februario 1694. *dato*, jam dudum Eccleſiam Catholicam vexat, *vobisque invitis, in ſinu veſtro nidificat, deſcribam verbis Clementis XI. feliciter regnantis, in alio Brevi Apoſtolico ad Catholicos in fœderatis Provinciis conſtitutos, die 7. Aprilis* 1703. *exarato.* ALIENI PROFECTÒ SUNT, *inquit*, qui dum gregem Dei dividere tentant, mactare potiùs ac perdere, quàm cuſtodire velle deprehenduntur. Obtendunt illi quidem exactioris diſciplinæ ſpeciem, ac de RIGIDIORIS THEOLOGIÆ SIBI FAMA BLANDIUNTUR, quales verò animo animo ſenſus foveant, quòvè mente colliment, quicumque ſapiens rerum æſtimator facilè judicabit, certiſſimâ illâ [quâ nos, ad eos qui veniunt in veſtimentis ovium, dignoſcendos, Salvator noſter inſtruxit] adhibitâ regulâ, A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS. Quis enim, ut cetera taceamus, tot ab illis HAC IN CAUSA editos libellos videat, JURGIIS, MALEDICTIS, apertâque in Apoſtolicam Sedem irreverentiâ, ac TEMERITATE UNDEQUAQUE SCATENTES, quos magno vel ipſis Heterodoxis ſcandalo eſſe, comperimus; quin ſtatim agnoſcat, QUAM LONGE' ILLORUM AUTHORES DEFENSORESQUE A SPIRITU DEI SINT, qui non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, quàm longè à ſincera Chriſti Charitate, quam adeò VERBIS PRÆDICANT, FACTIS DESTRUUNT, quàm longè demùm à veræ humilitatis & obedientiæ, quæ ceterarum virtutum fundamenta ſunt, tramite, dum adversùs ipſam Sanctam PETRI SEDEM, Chriſtianorum omnium Matrem & Magiſtram, caput attollere,

ejusque mandatis obviam ire, quin imò & potestatem convellere, & palam impetere NON ERUBESCUNT.

Quando (ut verbis Sancti Hieronymi utar) Orbis ingemuit, & se Arrianum esse miratus est, agebatur de unico dogmate Fidei, æterni Verbi cum Cæleſti Patre consubstantialitatis. Arriani in reliquis sapiebant cum Catholicis. Tres tamen mundi partes horrenda Secta pervasit, totamque Ecclesiam funestissimis scissuris diuisam tristissimis cladibus afflixit.

Præsentibus autem temporibus non de unico dogmate agitur, non de quæstione Facti, *ut loquuntur, sed de præcipuis Christianam vitam moderantibus rationibus, & de subordinatione membrorum ad Caput, Ecclesiasticam Hierarchiam constituente. Res eò pervénit, ut jam palam Sedi Romanæ insultetur, & Apostolica Authoritas, quæ Patriam Catholicam fecit, exquisitis artibus, tamquam potestas peregrina, in materia fidei & morum nec non Ecclesiasticæ disciplinæ (de temporalibus non loquor) exsufflétur. Incœpit hîc lapis scandali poni ab annis plus sexaginta. Scandalum crevit, non tam occurrentibus, quàm quæsitis occasionibus: Calamitatem hanc adauxit, Religionem legibus ignotis erroneâ reformatione subjiciens. Utinam,* ô Patriæ Patres! *Belgium non ingemiscat, & se à Romano-Catholica Fide defeciße, serò miretur! Quàm non vana loquar, recens exemplum triginta quinque Missionariorum Batavorum, quibus nonnulli Lovanienses, aliique per Brabantiam vestram dispersi adhærere noscuntur, anathema, justo Dei & Apostolicæ Sedis judicio, propter Jansenianam pervicaciam incursum, abundè demonstrat. Cunctis notum est, in quotnam diversas Sectas scißa per Europam Religio abierit. Hæ quidem omnes à Romana obedientia recesserunt, & nova dogmata amplexæ sunt: sed una plùs, altera minùs. Omnes tamen in eo conveniunt, quòd ab inobedïentia Sedi Apostolicæ debitâ incœperunt.*

Huc tandem in Brabantia deventum est, ut quodammodò gloriæ ducant non modò hanc obedientiam respuere, verùm etiam Romanis Pontificibus tum verbo, tum scripto insultare. Quin

etiam fabricantur exquiſitæ perſecutionum machinæ in eos qui nouis hiſce conaminibus obloquuntur, qui ſe opponunt, & avitæ Religionis vindices eſſe contendunt. Ita ut rediiſse videantur Athanaſiana *tempora, de quibus S. Patriarcha Alexandrinus, in Apologia ſua 2. expertus loquitur:* Cuinam illorum ſententiæ adverſanti, confictis JEZABELIS more criminibus, non laqueos tetenderunt?

Ego certè quàm gravia propter detectam in Brabantia veſtra Conſpirationem perpeſſus fuerim, in nupera Apologia mea copiosè oſtendere coactus fui, & cùm res in quodam judicio tractata fuiſſet, ad frangendam invidiam, REGI IN SUO CONSILIO STATÛS, *tamquam cunctis Tribunalibus majori inſcripſi. Præcipuam defenſionis meæ vim conſtitueram in* CONCORDANTIA *quorumdam ſcriptorum, per infauſtum quemdam* Petrum Nicolaum Tourteau, *mihi, in competenti authoritate conſtituto, in menſe Januario* 1707. *tamquam ex Confeſſarii ejus directione denuntiatorum, cum quibuſdam litteris neſcio cujus* Henrici Graſper, *in Academia Lovanienſi tunc ſtudentis, per eundem Petrum, in ſubſequenti menſe Februario detectis. Didici nihilominus ex Adverſariorum jactantiis, in calumniatoria, & diffamatoria ipſorum Concluſione finali, dudum poſt latam ex ſuſpicione Sententiam, contra me publicis Typis donatam, relatis, quòd hæc* CONCORDANTIA *examinata non fuerit.* Stultum fuiſſet illius CONCORDANTIAM cum Epiſtolis Domini Graſper examinare, *inquiunt, pag.* 120.

Cùm verò, qui CONCORDANTIAM *hanc oculis Romano-Catholicis pervolverunt, meæ non tantùm innocentiæ argumenta, verùm etiam tentatæ Religionis pericula, in illa perſpexerint; hanc typis donatam, prudentiarum, ac providentiarum veſtrarum examini atque protectioni ſubjiciendam conſtitui: ut tum Civem veſtrum, Religioſum profeſſum, Sacerdotem conſecratum, & Doctorem Romano-Catholicum, contra ſacros Canones, contra Edicta & Concordata Principum, contra Patriæ Conſuetudinem, & contra lætum Introitum articulo primo*

malè proſcriptum tueri : tum ut injectam appellationem proſequi non impediar Ego , tum ut vos periclitanti fidei ſuccurrere non gravemini. In hac ſpe , & confidentia huic ſcripto , cum exule Poëta dicam :

Parve , nec invideo , ſine me Liber ibis in Urbem.

Cùmque non tam de unius Civis fortunis agatur , quàm de communibus conſequentiis ſequi natis , ac præſertim de integritate Religionis , in qua omnes Deo , cui ſervire , regnare eſt , vivimus ; non audeo dubitare , quin qualiſcumque mea hæc lucubratio gratum apud Dignitates veſtras locum & patrocinium inventura ſit. Omnipotens erit merces veſtra. Decus veſtrum augebitur , & Cælo benedicente , multiplicabuntur veſtri Nepotes , illorumque lætitia magnificabitur , dum Catholica veſtra Nomina celebrabuntur , quâ latè patet univerſum, & purpuratis Chriſti Sanguine characteribus æterno Libro vitæ adſcribentur. Dabam Aquiſgrani Kalendis Auguſti 1709.

Illuſtriſſimarum , ac Reverendiſſimarum
Dominationum Veſtrarum

Servus Humillimus, ac Obedientiſſimus
Fr. BERNARDUS DESIRANT.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

VIsum fuit Conſultiſſimo Domino *Henrico Malcorps*, cum ſuis. non tantummodò litteras & ſcripta detecta in menſe Januario 1707. verùm etiam reſponſionem, quam fecerat ad Concordantiam, ex parte Patris Deſirant ſecretò, & clauſam in judicio exhibitam, luci dare, ſed ſuppreſſis D. Henrici Graſper litteris in ſubſequenti menſe Februario ejuſdem anni detectis. Quoniam verò publici intereſt, etiam illas cognoſcere, poſtquam Adverſarii prodiderunt reliqua; ſuisque ſcriptionibus poſt inſinuatam Sententiam publicatis, Patri Deſirant novam neceſſitatem injecerint ſe defendendi, monſtrandique, quàm debilis, quàm intricata, quàm inadæquata & impotens illa reſponſio fuerit & ſit; hinc, Lector benevolus, hanc etiam Concordantiam, quæ cum dictis Henrici Graſper litteris, & cum diſpunctoriis, ad præfatam reſponſionem reflexionibus Catholicis, ex defenſionis neceſſitate prodit, æqui bonique conſulturus eſt, & judicaturus, an & quantùm ſint innocentiſſimi, atque integerrimi, nec non quamnam jure merito ſimplicitatem Chriſtianam jactitent, qui non modò Adverſarios ſuos, in minoribus conſtitutos, ſed & præclariſſimos Antiſtites, ipſumque Chriſti Vicarium tam graviter impetere auſi ſunt.

CON-

CONCORDANTIA LITTERARUM Z. B. V. E.

Lovanii, in Januario 1707., & Litterarum *Henrici Grasper*, ibidem in subsequenti Februario detectarum.

De variis consiliis adversùs Romanum Pontificem, aliosque.

CAPUT PRIMUM.

De bino catalogo fictorum nominum, ab annis aliquot à Jansenistis composito, sivè de Clavi Aldenardensi, quam finxerant ad occultandam veram Clavem Quenellianam, quâ fuerunt usi: & hâc occasione de prætensa famosæ Epistolæ de 10. *Januarii* 1707. *& Libri Resolutionum fictione, necnon de* Henrici Grasper *litteris, quas agnoscunt veras esse.*

TAm constans fama erat, quòd Jansenistæ per diversa Regna & Provincias absque visibili Capite dispersi, consilia conferrent per litteras, ad stabilienda communia sua dogmata contra sanctam Sedem, Episcopos, imò & Principes, atque Doctores, aliosque, qui novitiis ipsorum placitis adversabantur; ut communis opinio esset,

quæ dictis Janſeniſtis fuit ſæpiùs objecta, quòd procul dubio inter ſe haberent ſigna quædam, quibus ſeſe mutuò ubique locorum diſtinguerent.

An Janſeniſtæ apprehenderint, vera ſigna, quibus utebantur, detecta fuiſſe, neſcio: hoc ſcio, me audiviſſe jactantem, quòd præſens fuiſſet, quando aliqui inter Mechliniam & Antuerpiam compoſuerunt catalogum quorumdam nominum fictorum, in quo inter ceteros Impreſſor *Ægidius Denique* (quem memoriæ causâ nomino) appellabatur *Novitius*, & pro *imprimere*, dicebatur ponendum *legere*, ita ut quando ſcribendum foret, quòd *Ægidius Denique* eſſet occupatus *imprimendo*, diceretur, *Novitius legit.*

Hujus catalogi copia fuit communicata aliquibus, tum joci causâ inter illos, tum etiam ad occultandum verum catalogum fictorum nominum, quo inter ſe utebantur. Primus cathalogus, quem fictum diximus, fuit inventus in Pago quodam propè Aldenardam, ubi apud Parochum loci hoſpitatus fuerat D. Ægidius de Witte, quondam Paſtor & Decanus Eccleſiæ Divæ Virginis Mechliniæ. Cùm etenim Gubernator Aldenardenſis commiſiſſet cuidam Capitaneo Domino Dumont, ut in præfati Parochi ædibus perquiſitiones faceret; hic inter alia invertens quoddam ſpeculum, chartam invênit, varia nomina continentem, & contulit; quæ cùm examinaretur, primâ fronte credita fuit vera Clavis, quâ Janſeniſtæ utebantur, fuitque tamquam talis mandata typis, & appellata *Clavis Aldenardenſis.*

Illi Janſeniſtæ, qui fictionis conſcii erant, ridebant, fictam Clavim pro vera accipi; non ſatis conſiderantes, quòd cùm hæc fictio ſua fuiſſet, partum exploderent, quem ipſimet ſuppoſuerant. Qui verò Janſeniſtæ fictionis modum, & cauſam ignorabant, & ibidem offendebant nomen ſuum, palam indignabantur, parati jurare, quòd neque hâc Clavi umquam uſi fuiſſent, neque de illa quidquam ſciviſſent; fictionemque in Janſeniſtarum Adverſarios rejiciebant.

At verò poſt annos aliquot, inter R. Patris Paſchaſii Quenelli, Bruxellis in Palatio Archiepiſcopali detenti chartas, inventam eſſe veram fictorum nominum Clavem, quâ Janſeniſtæ paſſim uſi fuerunt, libellus, cui titulus, *Cauſa Quenelliana*, copiosè demonſtrat. In hac verò Clavi inter alios Doctor Zegerus Bernardus van Eſpen appellatur *Fr. Antoninus.* Et inter eaſdem chartas repertæ ſunt, atque conſervantur variæ ejuſdem Doctoris litteræ, per totum ejus manu conſcriptæ, atque ſubſignatæ *Fr. Antoninus.* Ipſe Doctor fatetur: ſunt enim etiam ex his aliquæ in præfata *Cauſa Quenelliana* impreſſæ, quæ infrà reproducentur.

Ex his patet, quàm artificiosè Janſeniſtæ, qui totum Janſeniſmum

tam unanimiter ſuſtinent fictionem ſeu phantaſma eſſe, contra Adverſarios ſuos exclamaverint, Clavem Aldenardenſem fictitiam fuiſſe: tacebant enim, quòd aliqui ex ipſis eam finxerant. Item, iſtius Clavis uſum apud illos numquam extitiſſe: Tacebant enim ſe uti Clavi ſimili. Item multos paratos jurare, ſe de illa Clavi nihil ſcire: tacebant enim, illam fuiſſe fictionem aliquorum è ſuis, quæ illis juratoribus forſan ignota erat. Denique ex aſſerta Aldenardenſis Clavis impoſtura, Adverſariorum ſuorum patêre calumnias, dum Viros integerrimos atque innocentiſſimos exquiſitis fabulis divexabant: In hoc autem ſplendidè janſenizabant.

Ad detectam Clavem Quenellianam alio artificio uſi fuerunt. Nimirùm ex hac vera Clavi conſtare, quòd ſincerè egiſſent, dum Clavem Aldenardenſem fictam dixerant: tacuerunt autem, quòd illud ſuſtinuerint, ad falsò perſuadendum, quòd Adverſarii ſui cam finxiſſent, & quòd ipſi nullâ ſimili Clavi uſi fuiſſent, vel uterentur.

Addiderunt, quòd Patris Paſchaſii Quenelli ſcripta, inter quæ iſta Clavis, fuiſſent non bono, ſed violento atque injuſto modo capta, retenta, & reſtitutionem poſcenti malè denegata: Tacuerunt autem, quòd qualitercumque id authoritate publicâ factum fuiſſet, equidem nil niſi veritas detecta eſſet. Objecerunt denique, quòd hæc fuiſſent familiariter ſcripta inter amicos, & neſcio quam indignitatem cauſati ſunt, eò quòd commune litterarum commercium humanæ ſocietati neceſſarium ſimiles ſcribendi rationes permitteret. Non reſponderunt autem ad hoc, quòd ex vetito illo commercio, detecta eſſent conſilia peſſima, Congregationes, ſcriptiones Anonymorum librorum plurimæ adverſus ſanctam Sedem, omnesque mundi Status, ad criminoſam defenſionem dogmatum, præſertim Janſenianorum, ab Eccleſia Catholica dudum proſcriptorum.

Ut igitur ad rem veniam; ex detectis conſtat, quòd tam Clavis Aldenardenſis, quam fictam vocant, quàm Quenelliana, quam agnoſcunt veram eſſe, ſit opus ipſorum; primum quidem adinventum, ut veritas magis latêret, ſecundum verò factum, ut conſpirationes ſuas, per majorem Europæ partem ſtabilirent; & quòd utrumque in hoc conveniat, quòd in conſuetudinem duxerint, ſibi mutuò litteras dare fictis nominibus exaratas, quæ ſibi ſolis, ſuiſque nota forent, atque hoc in fines illicitos, ſuprà breviter recenſitos.

Patri Deſirant objiciunt, quòd Epiſtola de 10. Januarii 1707. & Liber Reſolutionum eodem menſe per Petrum Nicolaum Tourteau ipſi allatus, ſint res fictitiæ, ac præſertim Clavis Lovanienſis inibi contenta, juxta quam Doctor van Eſpen inter alios vocaretur, *Frater Valerianus.*

Profectò ſi quæ ad manus pervenerunt, & bonâ fide accepta fue-

runt, sint ficta; fictionem hanc ipsorum fuisse, ad celandas litteras veras, verumque Resolutionum Librum, quem habent, eo ferè modo, quo finxerant Clavem Aldenardensem, perspicuum est. Quamquam neque de ista fictione satis constet. Ut verò etiam hoc gratis daremus, quòd in libri copiam, quæ detecta est, studiosè intrusissent varia nomina Virorum, qui de Congregationibus nihil scientes, possent jurare, se illis non interfuisse, & item, quòd mutassent dies, aliasque variationes immiscuissent, ut totum opus in suspicionem traherent, & per probationem fictionis quarumdam circumstantiarum, quas ipsimet finxissent, reliquorum articulorum veritatem impugnarent; per hæc equidem nec Pater Desirant gravaretur, nec illi culpâ vacarent. Omne etenim fictionis genus hactenùs in hac causa Pater Desirant ignorat; quin immò ipse Petrus Nicolaus Tourteau, qui sæpe asseruit se Resolutionum librum Originalem vidisse, potuisset in copia quam accepit, circa præfatas circumstantias errasse, & putasse, quòd dum Epistolam de 10. Januarii jubebatur scribere, res seriò ageretur, cùm tamen, quisquis illo ad hoc usus fuerit, intenderet non opera vera, sed similia quædam, utì ficta per manus ejus elaborare, ut veluti nova Clavis Aldenardensis incideret in Adversariorum manus.

Quo supposito, si aliquid æquitatis, si quid pietatis atque charitatis apud ipsos est reliquum, non possunt, fateor, Petrum Nicolaum Tourteau verè odisse; coguntur defendere, alimentare, & omnem protectionis atque auxilii operam impendere. Si namque Petrus in principio putaverit, omnia vera esse, & se non ad fingendum, sed juvandum, adhibitum fuisse, tum utique nec sacrilegè confessus fuit, neque in judicio perjuravit. Quòd si posteà minis obrutus, alimoniæ necessitate pressus, promissisque illectus succubuerit, virosque qui tam eximia de se mutuò prædicant, seque doctissimos, innocentissimos, atque integerrimos judicant, audierit, secutusque fuerit doctrinam Zypæi malè applicatam de non revelandis in judicio occultis, prout in Apologia ostensum est; tum equidem non plus, quàm satis est, mirari debemus, quòd ad tantam collusionem utrimque devenerint, dummodò altè expendamus, an fieri humanitùs possit, ut Doctor van Espen, qui tot jam lustris veros Adversarios suos ubique locorum tam ardenter invasit, Petro Nicolao parceret, cum illo publicè in gratiam rediret, ejusque testimonia in judicio contra Patrem Desirant impenderet, si ullâ cogitatione apprehenderet hunc Petrum fuisse sacrilegè confessum, vel in eodem hoc judicio perjurasse. Nimia Patrem Desirant accusandi libido accusatores compulit, ut Petro crederent; nimiusque Petro credendi ardor ostendit,

quòd Petrum pejeraſſe neſcirent. Impetuoſa impreſſio, quam adhibent, ut Petro non jurato credatur contra Patrem Deſirant, evincit credendum eſſe illi potiùs in iis, quæ juravit contra Doctorem van Eſpen. Enimverò, qui in animo ſuo cognoſceret, teſtem aliquem recenter fuiſſe ſacrilegè confeſſum, & in judicio pejeraſſe, is illi, præſertim non jurato, nullam fidem præſtandam eſſe ſciret : nullamque omninò præſtaret, quia crederet, quòd non ſit in eo veritas. Qui ergo vult illi credi, eumque in teſtem adhibet, is in corde ſuo, & in pectoris ſui penetralibus agnoſcit & opere demonſtrat, ſe ſcire, quòd talis nec ſacrilegè confeſſus fuerit, nec perjuraverit: & maximè ſi ſit Juris Utriuſque Doctor, qui varia ſecundùm Canones, ac Leges ſcripſit, & inter alia ignorare non potuit commune Doctorum axioma in l. *ſi uteris* Cod. *de fide inſtrum. & admiſſ. eorum*, apud Brunnemannum ibid: *teſtis ſemel de falſo condemnatus, numquam poteſt eſſe Teſtis.*

Non potuit etiam ignorare legem, *ſi quis teſtibus* Cod. *de teſt.* ubi dicitur, *ſi quis teſtibus uſus fuerit, iidemque teſtes adverſus eum in alia lite producantur, non licebit ei perſonas eorum excipere.* A fortiori, ſi eum produxerit, poſtquam conſtiterit, quòd jam indè contra ipſum depoſuerat. Potuiſſet forſan retractationem ejus impendere ad ſe exonerandum, quando aliundè non conſtaret de colluſione & prevaricatione. Hoc ipſo autem, quo inſuper iſtius teſtis dictis uſus eſt, ad probanda ulteriora, conſequenter agnovit in illo veritatem, & ad terminos juris redactus eſt, ut ei credatur in iis, quæ dixit in depoſitione ſua prima, quam juravit, non verò in poſterioribus, quas non juravit, quia hæ de jure, extortæ atque ſubornatæ eſſe cenſentur, maximè ubi colluſionis & prævaricationis fumus acceſſit. Eligat ergo Doctor van Eſpen, quod voluerit: aut enim peccat, dum ſuſtinet Petrum in judicio pejeraſſe, cui ſtatim poſteà voluit credi debere; aut peccat, dum aſſerit, huic eſſe credendum, quem dicit anteà perjuraſſe. Eligat, inquam, ſed & agnoſcat, quòd utrumque multò levius ſit, quàm quòd Epiſtolam de 10. Januarii 1707. & librum Reſolutionum eodem menſe detectum, aut finxiſſet, aut feciſſet.

Sicut ergo Clavis Aldenardenſis verè Janſeniſtarum fuit, licèt illam finxerint, non ad utendum, ſed ad decipiendum, ita non deſinent prætenſæ fictiones ad ipſos pertinere, ſivè compoſuerint illas ad utendum, ſivè ad pariter decipiendum.

Sicut autem verum per ficta nomina ſcribendi uſum, & conſuetudinem poſteà detexit certa Clavis Quenelliana, ita veras Henrici Graſper litteras, prætensè fictorum inſtrumentorum contenta detexiſſe, ex præſenti Concordantia patebit.

CAPUT SECUNDUM.

De numero & qualitate litterarum D. Henrici Graſper, *& de modo, quo detectæ fuerunt.*

D. Henricus Graſper natione Hollandus, forſan Amſtelodámi, aut in Vicinia natus, annorum circiter viginti octo, quandonam Lovanium venerit, ut rebus Theologicis operam daret, non licuit inquirere. Cùm etenim plerique Hollandi, præſertim qui in Collegio Divæ Pulcheriæ, cui quondam Cornelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus præfuit, & nunc D. Petrus Melis Amſtelodamenſis præeſt, non ſoleant gradus Academicos in S. Theologia ſuſcipere; hinc Doctores Regentes parvam aut nullam horum diſcipulorum notitiam habent. Ipſumque nomen Graſper fuit Patri Deſirant tam ignotum, ut quando Petrus Nicolaus Tourteau die 16. Februarii primum litterarum faſciculum attulit, dicendo, ſe adferre litteras *Graſper*; primâ fronte putaverit, & per aliquot dies in ea opinione permanſerit, quòd nomen *Graſper* eſſet fictum. Undè & diligentias adhibuit ad cognoſcendum, utrùm aliquis *Graſper* Lovanii exiſteret. Videtur autem nunc, Lovanii fuiſſe die ſeptimâ Decembris 1706. In prima enim Epiſtola faſciculi ſecundi de 20. Febuarii 1707. ſcribit ſe Theſim, quam ibidem mittit, accepiſſe *ab ipſis Jeſuitis, cum magnis Reverentiis & confidentia, quando ibam auditum diſputationem illorum*, inquit. Theſim autem iſtam fuiſſe Lovanii defenſam præfatâ *die 7. Decembris poſt meridiem, præſide R. Patre Franciſco de Meezmaker Societatis Jeſu ſacræ Theologiæ profeſſore*, ex titulo liquet.

Eundem Henricum Graſper à prædicto D. Petro Melis fuiſſe aſſumptum in Procuratorem Collegii, ex fama audivimus eundemque die 16. Februarii fuiſſe occupatum, eò migrando, non obſcurè colligitur ex Epiſtola ſivè introcluſo ſecundo primi faſciculi, de eadem 16. Februarii, ubi ſcribit, *cùm mihi tempus effluxerit migrando ad domum Epiſcopalem, cogor abrumpere.* Iſtud enim Collegium ab ipſo & pluribus ſic appellari videtur, ſivè quia Janſenius Epiſcopus illic olim præſes fuit, ſivè quia Vicarii Hollandiæ, qui ſolent eſſe Epiſcopi, hoc Collegium tanquam Primarii proviſores ſeu Patroni ſuum reputant, & ibidem hoſpitari ſolent, ſi quando Lovanii appulerint. Verùmtamen hanc inter illos Nomenclaturam non uſque adeò ſeriam eſſe, cognoſcimus ex Epiſtola prima faſciculi de 20. Februarii 1707. ubi ſcribit, *Lovanii in Palatio Epiſcopali; hoc eſt ad ridendum.* Niſi forſan riſum velit cadere ſupra vocem *Palatii*;

quod mirarer tamen: Nam Collegium illud Palatio perſimile eſſe, ſpectatores agnoſcunt, præſertim poſt factas elegantes mutationes, nec non ſplendidos atque nitidiſſimos Cubiculorum præſertim inferiorum ordines, ſtudio & induſtriâ Præfati D. Petri Melis diſpoſitos, inter quos memoranda eſt effigies Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi, cum decoro apparatu exaltata, & collocata in frontiſpicio unius ex Caminis ſatis affabrè conſtructis.

Ex prima Epiſtola dicti primi faſciculi de 16. Februarii, colligimus, quòd jam indè Collegii negotia pertractaret. Verba ſunt: *Quod ad Hennebellum attinet, deſuper te informare non patitur temporis anguſtia, neque Collegii negotia.*

Agebat ergo jam tum Procuratorem D. Licentiati Petri Melis, & quæ Henrici dicitur eſſe morigera indoles, totus ab illo dependebat. Nec eſt credibile, quòd fuiſſet auſus quidquam facere, vel ſcribere, ſine illius approbatione. Eſt etenim Hollandica juventus dictis audiens, auſcultans Magiſtris, in quos incidere contigerit, placida, & diſciplinæ ſuſceptrix; cui accedit innatum phlegma, ingeniumque ſatis maturum atque perſpicax, ita ut non tam Adoleſcentibus, quàm Præceptoribus adſcribendum ſit, ſi quos errores incautè imbiberint.

Obſervantiam porrò ſuam, atque in Præſidem ſuum D. Petrum Melis propenſionem, atque reverentiam in pluribus litteris cum veneratione manifeſtat. In ſecunda Epiſtola faſciculi primi, nitidè ac eleganter ſtylo Hollandico ſcribit: *Præſes adhucdum ſubinfirmatur, ſed tolerabiliter, & omnia cum Deo bene ibunt.* In tertia Epiſtola ejuſdem faſciculi ſcribit: *D. Præſes te cum tota familia per calamum meum reſalutari jubet.* Noverat utique D. Præſes, quòd Henricus Graſper à Medardo Boede, ſalutem acceperat, & quòd eidem reſponderet. Nec fas eſt credere, quòd Henricus tam morigerus celaverit ipſi quidquam de iis, quæ in faſciculis continebantur.

In Epiſtola ſecunda ſecundi faſciculi nonnihil familiariùs Præſidem ſuo nomine exprimit: *Dominus Melis te ſalutat iterùm per meam pennam*, inquit.

An porrò & qualem Henricus Graſper à D. Jacobo Krys, aliiſque de Clero Batavo commiſſionem acceperit Lovanii peragendam, ex toto litterarum decurſu colligitur, nimirum recipiendi litteras, ad Amicos Lovanii degentes, eorumdemque Conſilia & judicia reſcribendi.

Quinam omnes hi Amici utrobique exiſtant, non plenè cognoſcimus; aliqui enim exprimuntur quidem nominibus propriis, ſed & aliqui nominibus fictis, alii generatim nomine *Amicorum*.

Quandonam præcisè primas ex Hollandia litteras acceperit, nobis

non conſtat. Ex prima Epiſtola faſciculi primi diſcimus quòd reſpondeat ad aliquas die 14. Januarii 1707. datas, item ad aliquas de die 15. ejuſdem, nec non ad aliquas poſt nonam Februarii acceptas. Remittit enim dicto D. Jacobo Krys litteras in Hollandia ſcriptas, nimirum memoriale ſecundum ſub Data quartæ Februarii, & introcluſum ſextum ſub Data nonæ ejuſdem Februarii.

Videntur præfatæ litteræ de 14. Januarii non per Curſorem publicum, ſed per Amicos vel Nuntium ſeriùs deſtinatæ, utpote cùm ad illas tantummodo die 16. Februarii reſponderit.

Non poſſumus conjicere, quòd de præſentibus negotiis Domino Jacobo Krys Lovanio ſcripſerit ante ſextam ejuſdem Februarii. Aliud enim de hoc non invenimus, niſi quòd in Epiſtola prima faſciculi primi dicat ſequentia: *Ad Epiſtolam de 15. Januarii ſcripſi tibi fuſiùs ſextâ hujus per Amicum, & miſi deſideratum*, ſive *quod deſiderabatur* Quidnam porrò illæ litteræ ex Hollandia ſcriptæ, & quid præfatæ Reponloriæ de 6. Februarii, contineant, nos latet. Non parvum Beneficium præſtaretur publico, ſi dictus D. Henricus Graſper bono modo induceretur ad illas imprimendas, præſertim cùm Adverſarii, tamquam innocentiſſimi & integerrimi aſſerant, nihil in illis mali contineri. Captum verò humanum ſuperat, quòd ex ſolis tribus faſciculis diebus 16. 20. & 23. ejuſdem Februarii 1707. ad D. Jacobum Krys datis, Petrus Nicolaus Tourteau ſciverit detegere & demonſtrare tam perfectam & univerſalem Concordantiam cum libro Reſolutionum ad eundem Jacobum Krys antea die 13. Januarii deſtinato, ſivè inſcripto, ut ſi expertiſſimis rerum Geſtoribus omnes ſcriptiones, tam de dicto menſe Januario, quàm de ſubſecuto menſe Februario exhiberentur ordine tumultuario inter ſe confuſæ, ſuppreſſis tantummodò Datis, nemo poſſet diſtinguere, quænam cenſendæ forent ſcriptæ tempore anteriori, quænam poſteriori, & item nemo valeret diſcernere, an & quodnam ſcriptum agat de aliis negotiis, quàm quæ omnibus & ſingulis ſunt communia, licèt in uno & alio reperiantur excedentia & exceſſa, quæ paſſim in litteris ab eodem homine diverſis diebus exaratis reperiuntur: ita ut meritò ab omnibus prudentibus, qui Concordantiam legerunt, & ſincerum ſenſum tuum expreſſerunt, concorditer judicatum fuerit, *quòd ex eodem ſpiritu profluxiſſe videantur*. Atqui adverſarii ſunt in confeſſo, quòd omnia, quæ in dictis tribus Henrici Graſper faſciculis continentur, ſint vera, originalia, genuina, & authentica, nec non quòd Pater Deſirant ad nullius horum compoſitionem concurrerit, aut concurrere potuerit; judicet ergo Lector Catholicus, quonam in pretio habendi ſint artificioſi eorundem adverſariorum clamores,

quòd

quòd ſcripta anteriora conficta fuiſſent, necnon quòd P. Deſirant ad illorum fictionem concurriſſet, vel quòd aliquam illorum copiam malâ fide miſiſſet ad Altiores Poteſtates Eccleſiaſticas, quaſi ſcire potuiſſet, illa conficta fuiſſe, id eſt, ſcire potuiſſet tunc, quod ipſum uſque in præſentem diem latet.

Tres itaque memorati litterarum Henrici Graſper faſciculi fuerunt per Petrum Nicolaum Tourteau apud Curſorem Regium intercepti diebus 16. 20. & 23. Februarii 1707., fueruntque per ipſum ad Patrem Deſirant lati omnes & ſemper aperti, cum expreſſa aſſertione, quòd id feciſſet atque faceret ex ordinatione Rectoris Univerſitatis, ad detegendam Janſeniſtarum conſpirationem, probandamque concordantiam cum ſcriptis, quæ in menſe Januario, ex Confeſſarii ſui præſcripto, ad eundem Patrem Deſirant, tamquam ſeniorem ſtrictæ Facultatis Regentem, per modum ſecretæ denuntiationis attulerat, quemadmodum fuſiùs in Apologia demonſtratum fuit. Exclamant Adverſarii, non licuiſſe Petro has litteras intercipere, & ex poſterioribus Petri variationibus objiciunt, Patrem Deſirant ad hanc interceptionem malè concurriſſe. Ad hæc autem fusè & plenè in Apologia reſponſum fuit. Ad rem præſentem ſufficit, cum Julio Claro, ſeu veriùs annotatoribus ejus dicere, quòd ſi fur inter furandum, arcam contuliſſet, in qua continerentur chartæ conſpiratoriæ; cum fure quidem agendum eſſet de ſurreptione, conſpirationis autem detectionem factam vel ſic, ad publicam ſalutem valere.

CAPUT TERTIUM.

Quòd ex Cauſa Quenelliana, & litteris Henrici Graſper *pateat, Adverſarios perperam exclamare, fortunam, libertatem, famam, atque vitam ſuam per* Patrem Deſirant *nutaſſe.*

STrenui clamatores, & inter hos FRATER ANTONINUS [ita ſe Doctor van Eſpen nominatum voluit] plenis buccis, præſertim articulo ſecundo Concluſionis finalis, enuntiant, libertatem, fortunas, famam, atque vitam ſuam expoſita fuiſſe. Hoc pacto ſcilicet, homines, qui ſe ipſos tam liberaliter eodem articulo, & in omnibus articulis ſuis tamquam innocentiſſimos atque integerrimos oſtentant, Chriſtianorum pietatem invocandam putarunt, ut indignationem moverent contra Patrem Deſirant, ſuamque cauſam veluti pientiſſimam, ab imaginaria perſecutione commendarent.

Perperam autem, prout in Apologia monſtratum eſt, cùm ipſimet fa-

teantur, Patrem Desirant nihil in hac causa egisse, nisi mittendo copias ad binas mitissimas Altiores Ecclesiasticas Potestates, quæ Adversariis nocere si voluissent, in præsentibus circumstantiis non potuissent, atque si potuissent, attamen noluissent. Testis Causa Quenelliana, in qua *Fratris Antonini* cum suis consilia sunt evicta, multòque graviora continent, quàm omnia illa, quæ in litteris signatis Z. B. V. E. circumferuntur. Ergonè qui tempore præcedentis Regiminis manserunt impuniti, periclitati fuissent sub præsenti? Ergonè ubi litteræ Henrici Grasper fuerunt nunc ab Authore suo agnitæ atque recognitæ sine ulla afflictione, Pater Desirant potuisset ipsi, aut *Fratri Antonino*, aut *Amicis* ejus, ùt vocant, aliquod exitium intulisse, mittendo simpliciter copias ad Ecclesiasticas illas Potestates? Jam non modò hæ Potestates, verùm etiam totus mundus novit, has litteras verè scriptas fuisse. Ecquidnam autem ideo Adversarii sunt passi? Minùs certè periclitati fuissent, si solæ istæ Potestates illarum litterarum conscíæ fuissent. Apud quemnam enim, vel quomodò hæ Potestates egissent? Num per se? At quidnam, obsecro, valuissent; aut si quid valuissent tunc, quid non valerent nunc? Si valuissent apud Pontificem? cur nunc non valeant apud aliquam mundi Potestatem? Quænam mutatio facta est, cur nunc non facerent? Nihil ergo illis tunc in potestate fuisse, quod nunc non sit, perspicuum est. Ubi itaque constat, nihil Adversarios ex Causa Quenelliana, aliis temporibus præter famam passos fuisse, nihil nunc à fortiori constat eos pati potuisse. An forsan quia detecti sunt, quòd in causis dogmaticis atque Ecclesiasticis ad victores Status Batavicos perfugium instituerint? Faciunt ista publicè in litteris Henrici Grasper, ac sibi gloriæ ducunt, & nihil tamen inde patiuntur.

Hoc autem forsan Adversarii vellent, ut prudentissimi Status indignarentur, quòd recursus, quem Adversarii instituerunt, sit detectus. Sunt autem & erunt prudentissimi rerum moderatores magis sapientes, quàm ut culpam aliquam ideo in Patrem Desirant conjiciant. Fecit ille quod Romano-Catholicum decet, illique solent laudare viros in sua Religione fideles atque constantes. Nihil per hoc Pater Desirant contra illorum Statum vel Rempublicam, vel intentiones tentavit. Econtrà ipsi Adversarii apud Gallos nuper Patrem Desirant criminati fuerunt, quòd erga Batavicam Gentem plus justo affectus esset. Sunt Batavi in Religione, quam profitentur, nati & educati. Nihil insoliti, quòd persistant, vel quòd Adversarios ad se recurrentes taliter qualiter habeant. Etiam Apostatæ nostri & Desertores ab ipsis palam suscipiuntur. Neque per hoc ipsi, qui tales suscipiunt, injurias referunt, sed ùt summum, qui recur-

runt. Et ab ipſis minùs, quàm à ſic recurrentibus, Romano-Catholicis timendum eſt.

Fuitnè caſus, ut aliquis Princeps, quantumvis Catholicus, etiam in mediis armis, contra Hollandicos Status querelam diceret, quòd perfugas ſuſciperent? Indignatio Principum contra perfugientes ùt ſummum, non contra recipientes exeritur.

Nam & vice verſâ fuitnè umquam, ut, dum aliquis ſponte ac liberè de Religione reformata ad nos rediret, Status Hollandici Principibus noſtris, vel nobis ipſis (per gratiam Dei experti loquimur) Dicam ſcriberet, quia receperamus? Econtrà nihil ipſis eſt antiquius, quàm prædicare libertatem conſcientiæ; illamque tam apertè commendant, ut nemini idcirco timeant diſplicere.

Sunt hæc ergo ſophiſmata Adverſariorum, non ſunt cogitationes Batavorum. Quinimmò ſumus etiam certi, quòd noſtra apud illos conſtantia plus decoris inveniat, quàm Adverſariorum oſcitantia. Debentque Adverſarii noſſe, quòd ſibi adulentur, dum credunt, quòd à tantis viris in his laudentur. Nolunt ipſi quemquam ſibi ſubjectum, niſi verè obedientem. Suntque magis probi, quàm ut æſtiment ſemi-deficientem. Aut totum volunt, aut nullum. Si quæ illis nativa eſt prudentia, Adverſarios mitiùs habent, iterùm ſibi Adverſarii adulantur, ſi has moderationes putant adhiberi propter ipſorum dulcia capita. Linceos oculos habent, & cogitant altiora.

Quin etiam, ut apertiùs loquar, ſupponamus Adverſarios, ſi vellent, ſemet ipſos totos illis dedere: quidnam eos retineret? Ipſe Summus Pontifex tum in ultima ſua Conſtitutione, tum in pluribus Brevibus ad illos datis mentem ſuam aperuit. Conqueſti ſunt per Organum Poedagogi ſui Gallicani, quòd Chriſti Vicarius illos abſcinderet, & Satanæ traderet: non poſſunt ignorantiam prætexere. Tametſi igitur à nobis palam diſcederent, tantùm abeſt, ut ipſorum fortunas, ut libertates, caput, atque vitam vellemus; quin econtrà communi voce diceremus, ite: Quid retinet? Quid retardat? nemo reclamaret, dum liberarent Patriam metu, purgarentque Religionem ſuſpicione. Multò tutius foret veris Romano-Catholicis, eos publicè & apertè ſine ullo Epiſcopo diſcedentes videre, quàm infinitas bonas animas in incertitudine tenere. Non eſt claudicandum in duas partes. Scriptura ſacra monet, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare, ſed recto tramite incedere. Si velint Romano-Catholici eſſe, & manere, pax ſit rebus: ſint & maneant toti, aut ſi toti non velint eſſe, toti vadant, nemo illis invitis poterit impendere illud Evangelicum, *compelle intrare*. Et poſtquàm à nobis palam exiiſſent,

eorum, qui eos recepiſſent, eſſet experiri, an fideliores futuri eſſent ipſis, quàm Romano Pontifici fuerant. Tunc maximè cauſa noſtra in tuto foret.

CAPUT QUARTUM.

Quòd non Pater Deſirant, *ſed Sententia per Adverſarios ipſi inſinuata, illos graviſſimarum pœnarum Reos pronuntiet.*

NUllam ergo talem Adverſariorum pœnam P. Deſirant intendit, aut apud Altiores iſtas Eccleſiaſticas Poteſtates intendere potuit. Cùm verò Janſeniſtæ ſemper agerent, & ſemper quæ agebant, negarent, unica ei cura & officium fuit, oblatâ occaſione uti, ad detegendum, quid verè agerent, ut hâc viâ ſinceri Romano-Catholicæ Religionis Cultores diſcerent, à quibuſnam, pro illa quam Roma prædicat, & Apoſtolo teſte, per univerſum mundum annuntiat, fide, ad ſalutem neceſſariâ, cavere deberent. Hæc toto cœlo diſtant ab illis fortunis & libertatibus, capitibus atque vitis, de quibus Adverſarii fucum faciunt. Ex ſequentibus autem patebit, an illis applicari non poſſit illud,

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim?

En verba Sententiæ, prout eam Patri Deſirant inſinuari fecerunt: *Habentes eum ulteriùs ſuſpectum, tribus diverſis vicibus induxiſſe præfatum Tourteau, ad interceptionem faciendam ex domo Curſoria ſupraſcriptorum trium parvorum faſciculorum litterarum ſcriptarum per prænominatum Hen. Graſper ad varias perſonas; nec non convictum, quòd eoſdem tres faſciculos quâlibet vice ad ſe per dictum Tourteau allatos, tamquam ex domo Curſoria interceptos, etiam tamquam tales quâlibet vice ſciens & volens acceptaverit, apud ſe retinuerit, illisque uſus fuerit in evidens periculum perditionis omnium prætactorum virorum.*

Quidquid ſit, in Apologia demonſtratum eſt, quòd quandoquidem, ubi de ſolis litteris prætensè fictis actum fuit, duntaxat *magnum præjudicium* expreſſum fuerit; ubi verò de litteris Henrici Graſper, ſivè ſolis, ſivè conjunctis agitur, additum fuerit, *in evidens periculum perditionis*; ex ipſo jactatæ ſententiæ tenore liquidiſſimè demonſtratur, quòd illud *evidens perditionis periculum* ſolis Henrici Graſper litteris inſit, Adverſariis id confitentibus.

Fruſtrà hîc repeteremus, quæ in Apologia & alibi reſponſa fuerant, quòd nimirùm Pater Deſirant ex ſuſpicionibus damnari non potuerit, & quòd dictæ ſuſpiciones fuerint minimè fundatæ.

Et item, quòd facta, de quibus convictus dicitur, ſint in ſe tam innocua, ut repugnet quidquam ex illis malâ fide, aut in pravum finem, directum fui ſſe.

Satis erit in hoc loco monſtrare, quòd ex ipſo Sententiæ tenore pateat, litterarum per Henricum Graſper ſcriptarum contentum tam enorme judicatum eſſe, ut illarum approbatores, ſcriptoresque per illas *evidenti periculo perditionis* expoſiti dicantur.

Præmittendum, quòd Henricus Graſper illas in judicio recognoverit. Addendum, quòd Adverſarii tam in ſua Concluſione finali, quàm in reſponſione ad Concordantiam, à ſolo D. Henrico Malcorps ſignata, eaſdem pro genuinis admittant. Accedit, quòd verba jactatæ Sententiæ ſint clara: *Litterarum ſcriptarum per prænominatum Henricum Graſper.*

Præmitendum inſuper, quòd non tantùm in prima parte diſpoſitiva dicatur, *magnum præjudicium illatum fuiſſe Doctori Zegero Bernardo van Eſpen, & aliis perſonis ibidem nominatis* (dicitur enim in numero plurali, *in ipſorum magnum præjudicium*) Verùm etiam in ſecunda parte ejuſdem diſpoſitivæ, ubi de aſſerto evidenti perditionis periculo agitur, expreſſis terminis dicatur, *omnium præfatorum virorum.*

An inde non conſequatur, ſenſum naturalem, atque obvium eſſe, quòd veræ Henrici Graſper litteræ contingant *Fratrem Antoninum* cum ſuis, Lector judicet.

Hiſce poſitis, videamus, quidnam Adverſarii dicant Patrem Deſirant de indubitatarum Henrici Graſper litterarum copiis feciſſe, undè omnes præfati viri *evidenti perditonis periculo* expoſiti fuiſſent.

Nihil aliud, quàm quòd illarum copias miſiſſet ad Altiores Poteſtates, id eſt ad Illuſtriſſimos DD. Inter-Nuntium Apoſtolicum, & Archiepiſcopum Mechlinienſem. Jungant, ſi velint, quòd etiam Concordantiam miſiſſet.

Atqui nec audent nec poſſunt dicere, quòd Pater Deſirant, ſivè in illis copiis, ſivè in illa Concordantia quidquam de prædictis litteris corrupiſſet, vel adulteraſſet.

Igitur quidquid ex iſtis litteris potuiſset cedere *in evidens periculum perditionis omnium præfatorum virorum*, ſubſiſtit in litteris certò ſcriptis, atque in judicio recognitis, nec aliundè extundi, quàm ex ipſarum contento poteſt.

Ipſi ergo & non alii ea ſcripſerunt, ex quibus omnium ipſorum *evidens perditionis periculum* ſequi poteſt. Interceptæ fuerint, næ fuerint: ſatis eſt, quòd conſtet illos ſcripſiſſe, quæ ſcripſerunt. Si Petrus intercipiendo peccavit, vel ſi D. Guilielmus Leunckens, qui tunc temporis Rector erat, malè negavit, ſe hanc illi intercipiendi commiſſionem dediſſe; hoc non ad Patrem Deſirant. Ille ſtatim Rectorem vocavit, & cùm per infirmitatem exire non valeret, non ſolùm Petrum, qui litteras tam

quam ex illius ordinatione coram uno teſte, qui in judicio depoſuit, attulerat, iteratò miſit, ſed etiam Doctorem Parmentier, & Univerſitatis Syndicum D. Advocatum Marriot requiſivit, ut dignarentur à Rectore petere, quatenùs non gravaretur ad Patrem Deſirant venire. Rector venit, & Pater Deſirant ei omnia die 23. & 25. ejuſdem Februarii oſtendit, & circumſtantias bonâ fide expoſuit, & conſequenter ſatisfecit legi primæ Cod. *De his qui latrones, vel aliis criminibus Reos occultaverint*, ubi dicitur: *Quiſquis ſciens ſuſceperit, & eos offerre Judicibus ſuperſederit.* In quæ verba Authores cum Brunnemanno n. 2. ſimpliciter dicunt: *Debent hoc Judici ſignificare, & eos exhibere.*

Si litteræ nihil continebant mali, nulla copiarum, nulla etiam Concordantiæ ad binas illas Eccleſiaſticas Poteſtates tranſmiſſio, ullum poterat *perditionis periculum* præfatis viris, vel per imaginationem creare. Veritas non odit lucem; bonumque ſic conſtat ex integra cauſa, ut nullum patiatur defectum.

Tolerabilis eſt conſequentia, quando ſupponeretur, quòd litteræ in menſe Januario per Petrum allatæ, fuiſſent adulteratæ, & indè concluderetur, quòd qui eas malâ fide attribuiſſet viris ſpectabilibus, qui de illis nihil ſciviſſent; hoc ipſo magnum eis præjudicium intuliſſet; continebant enim mala. Sed ſi non niſi bona continuiſſent, ecquodnam, obſecro, illis præjudicium inferri potuiſſet?

Atqui Adverſarii agnoſcunt litteras Henrici Graſper eſſe veras, eaſdemque uſque adeò ſuas faciunt, ut fateantur, ſe per illarum detectionem apud duas Eccleſiaſticas Poteſtates factam, evidenti perditionis periculo expoſitos fuiſſe. Litteras ergo illas peſſima continere, fateantur neceſſum eſt.

Hanc talem, tantamque Confeſſionem ab inveteratis complicibus alma veritas expreſſit.

Ubi verò non modò ſunt convicti, verùm etiam confeſſi, quòd *in* memoratis Henrici Graſper litteris, tam atrocia contineantur, ut ideò *evidenti perditionis periculo* ſubjecti fuerint; jam non quæram, an periculum illud evaſerint, nullam enim ipſorum perditionem cupimus, ſed emendationem; breviter autem repetam, quòd igitur Pater Deſirant in illis circumſtantiis poſitus, debuerit præfatas copias ſic mittere, quemadmodum in Apologia copioſiſſimè oſtenſum eſt.

Si enim erant tam horrendæ (judicabis lector, dum legeris) ſi continebant apertam conſpirationem adversùs Summum Pontificem, & varios Eccleſiæ Prælatos, alioſque; tunc Pater Deſirant, etiam abſtrahendo, quòd res ad illum in competenti officio poſitum, per viam proſecutæ

denuntiationis delata fuerat, in conſcientia juxta ſacros Canones, & Principum leges, Altiores Eccleſiaſticas Poteſtatas, ſaltem ſecretò monere debuit.

Julium Clarum conſulant, & Interpretes ejus in legem §. ad legem Juliam Majeſtatis §. *id quod*: inventuri ſunt, quod omnes in eo Authores conveniant.

In hunc paragraphum citatus Brunnemannus dicit n. 2. *Sed quid de aliis conſciis, qui non detexerunt; annè etiam ii aliquâ pœnâ plectendi, & quâ?* Et infrà: *Tenetur tantùm per modum admonitionis, & ſuggeſtionis privatæ revelare. Vide Menoch. l. 2. arb. quæſt. caſ. 355. num. 10. & ſeqq. Anton. Gabriel lib. 7. concl. commun. ult. potiſſimum. num 5. Bachov. in treutl. vol. 2. diſp. 32. th. i. lit. f. Anton. Math. d. l. n. 23. quòd ſi non faciat, pœna erit arbitraria. Menoch. d. l. num 13.* Et iterùm infrà, *qui revelat conſpirationes contra Principem factas ab initio, ille præmio honorabitur, qui verò poſt aliquod tempus, dum tamen adhuc conſpiratio ſecreta eſt, ille non præmio honorabitur, ſed tantùm veniam delicti reportabit. Farinac. d. l. n. 156.*

Non ergo Pater Deſirant peccavit, nec ille, ſed Sententia per Adverſarios ipſi inſinuata, illos graviſſimarum pœnarum reos pronuntiat.

CAPUT QUINTUM.

Exhibentur tres faſciculi litterarum Graſper.

ADverſarii Concluſionem ſuam finalem cum reſponſione ad Concordantiam publicando coëgerunt nos, ut neceſſitati defenſionis obtemperantes, tres objectos faſciculos litterarum Henrici Graſper in lucem demus. Quod ut præſtetur diſtinctiùs, ſingulam partem diſtinguemus per paragraphos.

§. 1.

Fasciculus primus clausus cerâ Hispanicâ, cui impressum est sigillum repræsentans Crucem.

SUPERSCRIPTIO.

Myn Heer, de Heer *Jacobus Krys*, by den nieuwen Brug inde dry bonte Kraeyen. T'Amsterdam. Port.

Domino meo, Domino *Jacobo Krys*, apud Pontem novum in tribus Cornicibus cinereis. Amstelodami. Portitorium.

INTRO CLUSUM PRIMUM.

Hr. Krys.
Eerwaerde Heer, ende Vrindt.

Domine Krys.
Reverende Domine, & Amice.

DE prognosticatie met V. E. Ratelswagts briefe, hebbe ick op synen tydt wel ontfangen. Het mag desen tytel beter dan een anderen voeren, want het zag er uit, of't 25. Jaeren inde Vulniskar had gelegen. T'stack juist nog in een goet kleed, maer anders weet ik niet of het self een smoddige post wel soude hebben aengenomen. Ik schaemde my van vwent wegen om het de goede vrinden aen te bieden. In't toekomende verzoeke V. E. eer beter in agt te nemen. V. E. begeerte van Opstraet is volgens wensen volbragt: En doet zyne dankzeggingen voor V. E. genegentheit verdubbelen. Op de vraeg van de Kromneus versoek ik nader uitsluit als V. E. dat ter oor gekomen is. Hennebels zaek is niet afgeslagen, maer wagt naer goetgunstige wint uit Hollant, als de Doctoors zullen weergekomen zyn. De printen syn hem behandight ende

PRognosticationem cum tua crepitaculo-vigiliari schedula, suo tempore rectè accepi. Potest hunc titulum gerere potiùs, quàm alium, ea enim erat ejus species, ac si per annos viginti-quinque jacuisset in carro fullonico. Opportunè inserta erat bono tegumento, sed aliàs nescio an etiam aliquis Veredarius assumpsisset. Pudebat me causâ tuâ bonis amicis exhibere. Rogo te imposterùm honoris tui magis satagere. Voluntas tua ab Opstratio ad votum expleta est, facitque duplicari gratiarum actorias suas. Ad petitionem Kromneus ampliorem explicationem requiro, dum ad aures tuas pervenerit. Hennebelli causa rejecta non est, sed exspectat ventum faventem ex Hollandia, ubi Doctores redierint. Imagines ei destinatæ sunt, & labori tuo gra-

gratitudine ſolvitur. Ad Epiſtolam de 15. Januarii ſcripſi tibi fuſiùs ſextâ hujus per amicum, & miſi deſideratum. Huygens ad votum compactus eſt, ſed debuiſti perdere ligamina duorum priorum, quod tibi, ſpero, non diſplicebit. Miſſi ſunt per Georgium, qui jam inde diſceſſit. Venio ad gratam veſtram de 14. Januarii, quæ mihi veniebat ad manum, dum hæc huc uſque protracta erat. Requiſitionem tuam ego, quemadmodum ſemper, diligenter & paratè ſubſequar. Effigies Huygenii eſt, ſed parcè reperibilis, nulli parcam labori, ubi à te taliter tantis honoror. Dominus Opſtraet mecum repetit debitam gratitudinem ſuam, & rogat vos omnes ſimul, quemadmodum etiam benè intentionati ut equidem quàm generosè incœptum eſt, ita proſequamini. Deus tunc operi benedicet. Quod ad Hennebellum attinet, deſuper te informare non patitur temporis anguſtia, neque Collegii negotia. Grates habeo de promiſſo adjutorio Boede. Bonæ indolis eſt, & virtuoſus, etiam boni ingenii, at ubi in Philoſophia ſibi parùm complacet, videntur mihi caules perditæ, præter magna pericula, quæ inde poſſunt ſequi.

Quomodò valet noſter Prauwelius, vivitnè? Apprecor ipſi bonam valetudinem, vobisque cum omnibus amicis omnia proſpera. Vale.

P. S. Placeat incluſam deſtinare ſoli Petro Boede ſtudioſo, non mittendo ad ædes ejus. Rursùm vale. *Inferiùs habetur*, Totus tuus. *A latere*

HÆc ad comitandam fratris tui [*ſubaudi Epiſtolam*] ſcribit enim mihi, ut quàm citiùs velim reſpondere litteris ejus, quas nudius-tertius recepi. Placeat ergo eam ſine dilatione quamprimùm mittere. Dominicâ præteritâ.....volo ſperare quòd mentem meam benè intellexeris. Va-

le, & ſaluta uxorem tuam. Abrumpo cum magna feſtinatione, & maneo tuus obſequioſus ſervus, *ſignatum erat* H. Graſper. *Infrà habebatur*, placeat incluſam ſine dilatione deſtinare Kryſio.

we. Breke met ſeer grooten haeſt af, ende blyve V. E. dienſte Dienaer, *was onderteekent* H. Graſper. *Onder ſtont*, gelief d'ingelede van Krys voort ſonder uitſtel te behandigen.

§. XV.

INTROCLUSUM PRIMUM.

SUPERSCRIPTIO.

Domino meo, Domino *Jacobo Krys*, Amſtelodamum.

Myn Heer.
De Heer *Jacobus Krys* t'Amſterdam.

Lovanii, 23. Febr. 1707.

Loven den 23. Febr. 1707.

Rde. Domine.

Eerwaerde Heer.

EPiſtola tua ad Dominum Cinck inquietat me magis, quàm te. Nam in illis (*ſupple litteris anterioribus*) memoralia & aliæ Epiſtolæ miſſæ fuerunt. Ipſe ego ex prudentia tradidi in manus Domicellæ Curſoris. Indubiè ceciderint in manus Roelariorum. Quantùm ad libros, puto juſſa veſtra plenè executioni mandata eſſe. Equidem ſi errorem corrigere valeam, ſatagam. Abrumpendo cum magna feſtinatione maneo tuus obſequioſus.

VE. brief aen Hr. Cink ontruſt my meer, dan V. E. want daer in de memorien, ende d'andere brieven zyn geſonden. Ik heb ze uit voorzigtigheyt ſelf in handen vanden Poſt iufr. overgelevert, die zal ongetwyffelt in Roeliers handen gevallen zyn. Wegen de boeken meene, dat uwe order volkomen opgevolght is. Dog ſoo de mislagh kan beteren, zal er myn beſten om doen. Met groote haeſt afbekrende blyve, *onder ſtont* V. E. dienſtwillige, *& folio verſo recto habetur ſcriptum*

P. S. Dominus Cinck agit tibi gratias de obſequiis præſtitis in cauſis commendatis, exſpectando reſponſum circa fratrem ſuum, de quo in litteris de 21. meminiſti, & jubet te cum aliis cordialiter ſalvere.

P. S. Hr. Cink bedanckt V. E. wegens de devoiren aengewend in ſaeken V. E. gerecommandeert, verwagtende antwort wegens ſyn broeder, daer V. E. in den 21. van melt, ende doet V. E. nevens andere hertelyck groeten.

§. XVI.

INTROCLUSUM SECUNDUM

SUPERSCRIPTIO.

Myn Heer.
De Heer *Hieronymus de Bock* in Huſſen.
Myn Heer ende Vrindt.

V. E. aengenaemen van den 11. ontfangen. Blyve by myne vorige redenen, die V. E. nog wel ſal genoegen. My dunckt, dat gy nu nog veel beter gront hebt, om met eere los te raeken, dan te voren. Hr. Melis wilde om beſondere redene ſyn oordeel ſoo niet uiten, doch kan genoegſaem merken, dat hy van myn gevoelen niet vervremt was. Hy gaff heel goede getuygeniſſe van V. E. en thoonde ſyne genegenheit. Vande tafel hebbe *propter rationes phyſicas* nog niet willen ſpreken. Laet my daer maer mede omſpringen, dat zal wel gaen, ende zie gy maer uwe banden los te maeken. T'Amſterdam ſynde, ſal V. E. nader, breder, ende omſtandiger van alles ſchryven, want my nu de tydt ontbreckt, ende de Poſt op ſyn vertreck ſtaet. *Vale amicorum amantiſſime. Maneo totus tuus. Et erat ſignatum* H. G. *Infrà habebatur*: in Cinks kamer met groot haeſt, den 23. Febr. 1707. *Adhuc infrà habebatur*: Hr. Cinck groet V. E. ende de Paſtor.

Domino meo, Domino *Hieronymo de Bock* in Huſſen.
Domine mi & Amice.

REcepi gratas tuas de undecima, inhæreo anterioribus rationibus meis, quæ tibi etiamnum placebunt. Videris mihi nunc multò melius fundamentum habere, ut libereris cum honore, quàm anteà. Dominus Melis nolebat ob peculiares rationes ita ſuum judicium pandere, ſed poſſum ſatis advertere, quòd non erat equidem à meo ſenſu alienus. Dabat de te planè bonum teſtimonium, & monſtrabat inclinationem ſuam. De menſa propter rationes phyſicas nondum volui loqui, ſinas me illud tantummodò dirigere, hoc bené ibit, cura tantummodò ſolvi vincula tua. Tibi exiſtenti Amſtelodami propiùs, latiùs, & circumſtantionatiùs ſcribam de omnibus, nam mihi nunc tempus deeſt, & Curſor eſt accinctus diſceſſui. Vale amicorum amantiſſime. Maneo totus tuus. *Et erat ſignatum* H. G. *Infrà habebatur* : In cubiculo Cinckii cum magna feſtinatione 23. Febr. 1707. *Adhuc infrà habebatur* : Dominus Cinck tibi & Paſtori ſalutem dicit.

Quæ huic faſciculo tertio introcluſa ſunt, incipiendo à prima Epiſtola, collatione factâ concordant cum ſuis reſpectivè originalibus, quod atteſtor, *ſignatum erat* N. Tourteau Nots.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Exhibentur Epiſtolæ Z B. V. E. cum Libro Reſolutionum, prout eas Petrus Nicolaus Tourteau *ad Patrem* Deſirant *in menſe Januario* 1707. *tulit, & Adverſarii retro Concluſionem ſuam finalem impreſſerunt, anno* 1708.

EPISTOLA

De decima Januarii 1707. & FORMULARIUM *illi accluſum.*

Eruditiſſime Domine,

SAlute præviâ, non mihi eſt dubium quin noviſſimæ meæ Litteræ redditæ ſint Eruditiſſimæ Dominationi Veſtræ, quibus cognoſcere potuiſti, noſtra negotia optimo in ſtatu eſſe poſita, ſi unanimes permaneamus; & in ſignum unanimitatis compoſui hoc Scriptum introcluſum, ab omnibus Amicis ſignandum: neſcis quantam utilitatem nobis ſit allaturum hoc Scriptum, dum ſignatum erit. Unanimiter noſtro nomine offeremus ſupplicam Statibus Hollandiæ, ut ſub eorum protectione valeamus eſſe; & referemus, Adverſarios noſtros eſſe homines, qui cum Gallis commercia tenent, & qui in necem & in ruinam Hollandiæ Statuum conſpirant: exponemus fautores noſtrorum Hoſtium eſſe homines qui Gallis maximè addicti ſunt: obſecrabimus, ut adſcribi numero Civium Amſtelodamenſium poſſimus, ut hoc modo majori protectione frui poſſimus: & non dubito, quin fruituri ſimus protectione Hollandicâ præferendâ omnibus aliis. Hoc modo poterimus evadere Romanorum & inimicorum noſtrorum oppreſſiones, quæ imminent. Amici noſtri approbârunt, & poſtquam Bruxellis ſignaveritis, nos pariter hîc ſignabimus, tranſmiſſuri poſteà Mechliniam, Gandavum, ut etiam ſignent ibidem Amici noſtri. Dignaberis ſignare cum aliis Amicis, & mihi quàm primùm tranſmittere, ut brevi omnia ad finem bonum poſſimus perducere. Noſtra Caterva creſcet, & terrorem inferet Adverſariis noſtris. Nomina paginâ ſequenti ſcripta ſunt, qui ſubſignabunt. Interim ſubſcribor ex corde, *Infra habebatur*: Eruditiſſimæ Domine, Veſter humillimus ſervus, *Et erat ſignatum*: Z. B. V. E. *In margine habebatur*: Lovanii 10. Januarii 1707.

In pagina ſequenti ſcripta erant ſequentia.

Clariſſimus Dominus van Eſpen,
Doctiſſimus Dominus Goethals,
Reverendus Dominus Paſtor Begginaſii Magni Lovanii,

Reverendus Dominus Heemans Vice-Paſtor Sancti Quintini,
Reverendus Dominus Melis Præſes Collegii Hollandici,
Eruditiſſimus Dominus Opſtraet,
Eximius Dominus Hennebel,
Doctiſſimus Dominus Cinck,
Dominus Vivien,
Dominus Verniel,
Reverendus Pater Baert,
Reverendus Pater De Fraye,
Eruditiſſimus Dominus Vande Neſſe,
Reverendus Pater De Hondt, & alii ejuſdem Religionis,
Dominus Du Cellier,
Eruditiſſimus Pater Ballexo,
Reverendus Pater Van Wavre,
Reverendus Pater Tax & alii ejuſdem Religionis,

Et innumerabiles alii ſignabunt, quorum nomina nimis longum foret repetere. *Superſcriptio erat*: Eruditiſſimo Domino D. Vande Neſſe Paſtori Vigilantiſſimo S. Catharinæ Bruxelliis &c.

Sequitur Scriptum introcluſum.

Nos infraſcripti vovemus & promittimus Statibus Hollandiæ toto tempore vitæ noſtræ obedientiam, nobis mutuò ſemper adhærere & opem ferre, nullos Delegatos Sanctæ Sedis ad nos huc miſſos veluti Miniſtros ejuſdem eſſe habituros, nulla Decreta eorumdem eſſe obſervaturos; nos ſemper defenſuros fidem noſtram, & præclaras Propoſitiones Janſenianas. Inſuper aſſerimus, nos contentos eſſe adſcribi numero Civium Amſtelodamenſium, ut frui protectione Hollandicâ valeamus. Hanc ſignavimus hâc....

EPISTOLA

De 13. *Januarii* 1707.

Myn Heer,

NAer een herteliicke groeteniſſe, ſoo come ick U. E. door deſen Brief kenbaer maecken den ſtaet van myne goede diſpoſitie, het ſelve verhopende van U. E. en van alle de andere Vrienden in Hollant: en om te voldoen aen uwen leſten Brief, ſoo ſende ick U. E. nu over eene warachtige copye van woordt tot woordt van onſe gehoudene Congregatiens ende genomene Reſolutiens ſedert de maendt May 1706. tot nu toe: waer uyt U. E. ſult konnen beſpeuren de groo-

Domine,

POſt cordialem ſalutationem venio te per hanc Epiſtolam informatum de ſtatu bonæ meæ diſpoſitionis, idem ſperans de vobis & omnibus bonis Amicis in Hollandia: & ut ſatisfaciam Epiſtolæ tuæ ultimæ, mitto vobis jam veram copiam de verbo ad verbum Congregationum à nobis habitarum, Reſolutionumque captarum à menſe Maio 1706. *huc uſque: undè poteritis diſcere magnam concordiam omnium noſtrûm, magnumque*

amorem & affectum, quem erga nos mutuò gerimus. Ulteriùs mitto Vobis Copiam, sivè Chartam, quæ de verbo ad verbum transcripta est ex Formulario approbato & subsignato ab omnibus Amicis, exceptis paucis, de non volendo ullá ratione desciscere à (nobis) *invicem, aut revereri Bullas Pontificias quæ nobis & doctrinæ nostræ contrariæ sunt aut erunt. Etiam vos certiores facio, me esse occupatum faciendo subsignari ab Amicis novum aliquod Formulare, quod tantam in se vim habet, quantam illud, cujus Copiam jam transmitto, Hîc habetis omnia ex quibus clarè videre poteritis nos esse huc usque bono animo, idem sperantes de vobis & omnibus aliis Amicis. Spero negotia nostra optatum successum habitura, etiamsi inimici nostri contraria spargant. Statuimus Congregationes nostras continuare pristino more; sed in domo aliena & ignota, nè noti fiamus. Jussi etiam fieri parvam cistam cum tribus firmis seris, in quam jam imponimus omnes nostras chartas, jussíque hodiè deferri illam cistam ad aliquem Amicorum nostrorum, qui nunc habitat in domo aliena, in cujus itaque domo imposterùm erunt nostræ Congregationes, utì suprà dictum est. Has copias jussi transcribi per aliquem ex maximis meis Amicis, cui ita fido utì mihi ipsi. Omnes nostras chartas & Epistolas scribam ipse posteà, quia non ampliùs fido isti socio qui scripsit Epistolas nostras; quandoquidem nimis sæpè habeat negotia cum nostris inimicis; sed spero fore ut nos non prodat. Simul atque ultimum illud Formularium erit subsignatum, transmittam vobis copiam. Commendo vobis ut dignemini felicitatem nostram procurare apud Præpotentes Ordines Hollandiæ. Scriberem vobis plura;*

te eendrachtigheyt van ons altemael en de groote liefde ende affectie die wy tot malcanderen draeghen. Voorders soo sende ick U. E. over eene copye, oftc. pampier, die van woordt oock tot woord gecopieert is uyt de Formuliere van alle de Vrienden geapprobeert ende onderteeckent, uytgenomen weynige, van geensints te willen van malcanderen afwycken, ofte reverenderen die Pausseliicke Bullen, die aen ons en aen onse Leeringe contrarie zyn ofte sullen wesen. Ick laete U. E. oock weten, als dat ick besich ben met eene nieuwe Formuliere te doen teeckenen van onse Vrienden, die soo groote cracht in sich selven heeft, als die welckers copye ick nu assende. Hier hebt Gy alle dingen uyt de welcke U. E. sult connen claerliick sien, als dat wy noch altyt van goeden moet zyn, het selve verhopende van U. E. ende van alle de andere Vrienden. Ick hope dat onse affairen naer onsen wensch sullen uytvallen, al ist dat onse Vyanden contrarie dingen verspreyden. Wy zyn van sin onse Vergaederingen te continueren op onse oude maniere, maer in een vrempt ende onbekent huys, uyt redene dat wy niet en souden bekent worden. Ick hebbe oock eene cleyne kiste doen maecken met drye stercke sloten, in de welcke wy alle onse pampieren nu doen, en ick hebbe heden die kiste doen by iemant van onse Vrienden draegen, die in een vrempt huys woont, in welckers huys dan onse Vergaederingen imposterùm sullen wesen, geliick hier boven geseyt is. Ick hebbe dese copyen doen uytschryven door eenen van myne grootste Vrienden, die ick soo wel betrauwe, als my selven. Alle onse pampieren en Brieven sal ick selver schryven daer naer, uyt reden dat ick dien quant niet meer en betrauwe, die onie Brieven geschreven heeft, mits hy te dickwils affairen heeft met onse Vyanden: maer ick hope al dat hy ons niet en sal verraeden.

Soo haeſt als die leſte Formuliere ſal weſen geteeckent, ſoo ſal ick U. E. copye af-ſenden. Ick recommandere U. E. als dat Gy ons geluck wilt waernemen by de Heeren Staeten van Hollant. Ick ſoude U. E. meerdere dingen ſchryven, maer ick cryge inſtanteliick eenen Brief van Bruſſele, als dat ick moet ſonder uytſtel naer Bruſſele gaen om myne affairens tegens de Stricte Collegie vande Rechten, ſoo dat my den tydt ontbreckt om meerdere dingen te ſchryven. U. E. en moet niet verwondert weſen, dat deſen Brief ſoo audt is; den Brenger deſer die en wiſt niet precies wanneer hy naer Amſterdam ſoude gaen, en om dat ick deſe goede occaſie niet en ſoude verlieſen, ſoo hebbe ick deſen Brief veerdich gemaeckt, op dat hy hem ſoude konnen hebben, alſwanneer dat hy vertrock. Ondertuſſchen blyve ick, *Onderſtont*: Myn Heer U. E. bereeden ende onderdaenigen Dienaer *Onderteeckent*: Z. B. V. E. *Onderwaerts ſtont*: Myn Heer ick ſende U. E. die twee Boecken, eenen voor U. E. en eenen om te geven aen iemandt van onſe andere Vrienden volgens U. E. verſoeck. *In margine ſtont*: Loven deſen 13. Jan. 1707.

De ſuperſcriptie was: Myn Heer, Myn Heer Jacobus Ignatius Krys tegenwoordigh tot Amſterdam.

ſed hoc momento accipio Epiſtolam Bruxellis, quòd debeam ſine dilatione ire Bruxellas propter mea negotia contra Strictum Collegium utriuſque Juris; ita ut deſit mihi tempus ad plura ſcribenda. Non debetis mirari hanc Epiſtolam eſſe tam antiquam; Lator hujus non ſciebat præcisè quandonam Amſtelodamum eſſet iturus: & ut banc bonam occaſionem non amitterem, præparavi hanc Epiſtolam, ut eam habere poſſet quando diſcederet. Intereà maneo, Infrà habebatur: *Domine, Veſter paratus & obediens Famulus*, Signatum: *Z. B. V. E.* Magis infrà habebatur: *Domine, mitto Vobis duos iſtos Libros, unum pro Vobis, & unum ut detur alicui aliorum noſtrorum Amicorum, ſecundùm veſtram petitionem.* In margine habebatur: *Lovanii hâc* 13. *Januarii* 1707.

Superſcriptio erat: *Domino Domino Jacobo Ignatio Krys, Amſtelodami commoranti.*

FORMULARIUM *de menſe Iunio* 1706.

NOs infraſcripti hiſce declaramus, nequaquam à nobis eſſe honorandas Bullas Romanas contrarias Propoſitionibus Janſenianis, & cùm recognoverimus has illuſtres Janſenianas Propoſitiones fidei noſtræ nequaquam eſſe contrarias, ita hiſce vovemus & promittimus nos eas ſemper eſſe defenſuros, occultè autem ſi apertè impediamur eas tueri; & ad evitandas omnes oppreſſiones quæ nobis hanc ob rem evenire poſſunt, eas Bullas Romanas exteriori ſigno reverebimur, at interiori ſigno reſpuendas eſſe cenſemus. Quapropter Bullas & Formularia Alexandri VII. & hujus Pontificis revereamur omnes fictè, & tanquam dolosè impetratas ab Adverſariis noſtris: inſuper nobis mutuò fidelitatem perpetuam promittimus ſecundùm reſolutionem à nobis captam per litteras & alia inſtrumenta. Ulteriùs nobis mutuò opem ferre paratos eſſe aſſerimus. Hanc ſignavimus in menſe Junii 1706. *Signatum erat*: Van Eſpen, Hennebel, Melis, Opſtraeten,

Goethals, Heemans, Claeſſens Paſtor Magni Begginagii Lovanii, Baert, De Fraye, Santerre, Ballexo, Tax, Van Wavre, De Hondt, Vande Neſſe, Du Cellier, Vernielen, Viveen, Cinck Philoſophiæ Profeſſor &c.

Infrà habebatur:

Concordantiam cum Formulari conſignato atteſtor.
Et erat ſignatum BART. HENDRICKK Secret.

LIBER RESOLUTIONUM.

Amici, qui interfuerunt Congregationibus anno 1706. apud Clariſſimum Dominum Zegerum Bernardum Van Eſpen, ſunt annotati paginâ ſequenti.

Paginâ ſequenti ſcripta erant ſequentia.

NOMINA AMICORUM.

CLariſſimus Dominus Bernardus Van Eſpen J. U. Doctor &c.
Reverendus D. Melis Præſes Collegii Divæ Pulcheriæ.
Reverendus D. Alardus Vanden Steen Præſes Collegii Milii.
Doctiſſimus D. Goethals Profeſſor Primarius Philoſophiæ.
Doctiſſimus D. Ladderſous Philoſophiæ Profeſſor Primarius.
Doctiſſimus D. Cinck Philoſophiæ Profeſſor.
Reverendus D. Paſtor S. Quintini.
Reverendus D. Paſtor Magni Begginaſiii Lovanii.
Reverendus D. Vice-Paſtor S. Quintini.
Eximius D. Verſchuren Præſes Collegii Alticollenſis.

Ex Ordine S. Auguſtini tres ſequentes.

Reverendus Pater Baert Prior.
Reverendus Pater Viſitator De Fraye.
Reverendus Pater Santerre &c.

Reverendus D. Verniel.
Reverendus D. Vivien.
Reverendus D. Van Heck Regens Gymnaſii SS. Trinitatis.
Dominus Laddereer Magiſter Poëſios in Gymnaſio SS. Trinitatis.
Magiſter Denique noſter Impreſſor.
Conſultiſſimus D. Eſſinck Advocatus &c.

A menſe Octobri interfuerunt

Reverendus D. Opſtraeten.
Eximius D. Hennebel S. Theol. Doctor &c.

1706.

Tertiâ Junii renovatæ ſunt Congregationes Lovanii Amicorum noſtrorum in ædibus Clariſſimi D. Zegeri Bernardi Van Eſpen J. U. Doctoris & Canonici D. Petri Lovanii &c.

Congregatio tertiâ Junii 1706.

COnvenerunt Amici, & Clariſſimus Dominus Zegerus Bernardus Van Eſpen propoſuit Amicis, utrùm eis placeret iterùm renovare Congregationes Amicorum.

Et ab Amicis reſolutum eſt, eas denuò renovare, & primam indixerunt in quintam diem hujus currentis Menſis, ad deliberandum ſeriò ſuper Propoſitionibus faciendis à Clariſſimo Domino Van Eſpen.

Congregatio 5. Junii 1706.

Convenit Amicorum major & ſanior pars, & Clariſſimus D. Van Eſpen propoſuit, utrùm placeret gratias agere Deo, quòd nos liberaſſet à gravi jugo Gallorum, & quòd preces noſtras audiviſſet.

Et reſolutum fuit, rogandum eſſe Clariſſimum D. Van Eſpen, ut hæc iterùm proponere dignetur in proxima Congregatione, donec omnes Amici convenerint.

Et proximam Congregationem indixerunt in 15. currentis Menſis.

Congregatio 15. Junii. 1706.

Convenerunt 5. aut 6. Amici, & petivit ab eis Clariſſimus D. Van Eſpen, utrùm illis placeret Propoſitio facta quintâ currentis menſis, & reſolutum fuit, in hac Congregatione nondum poſſe deſuper deliberari, cùm ferè nulli Amici comparuiſſent.

Et proximam Congregationem indixerunt in 25. currentis menſis.

Et rogarunt Clariſſimum D. Van Eſpen, ut dignetur curare in ſtatutum diem convocari omnes Amicos, ut omnia debito modo peragantur.

Congregatio 25. Junii 1706.

Convenerunt omnes Amici & denuò propoſuit Clariſſimus D. Van Eſpen, utrùm placeret agere Deo gratias, quòd nos liberaverit ab iſto gravi jugo Gallorum, & quòd noſtras preces exaudiviſſet.

Et reſolutum fuit, agendas eſſe gratias Deo, & in eum finem parvum celebrandum eſſe Sacrum 27. currentis in Eccleſia Divi Petri, horâ undecimâ, ad quod Amici invitantur.

Et cùm tempus elapſum eſſet ad ulteriùs deliberandum ſuper negotiis à Clariſſimo D. Van Eſpen proponendis, indixerunt proximam Congregationem in quartam Julii, & rogarunt Clariſſimum D. Van Eſpen, ut non gravetur ſe parare ad proponenda in proxima Congregatione negotia illa, ſuper quibus maturè deliberandum exiſtit.

Congregatio 4. Julii 1706.

Convenerunt Amici, quibus Clariſſimus D. Van Eſpen propoſuit, utrùm Amicis non placeat ante omnia conficere cathalogum nominum omnium Amicorum Lovanii reſidentium, ad videndum numerum eorum qui defecerunt, & qui noſtræ catervæ adſcribi velint.

Et unanimi conſenſu reſolutum fuit, placere, & rogatum fuit ut Clariſſimus D. Van Eſpen dignetur conficere iſtum cathalogum, quandoquidem ipſe de omuibus ſit inſtructus.

Et in hunc finem indixerunt primam Congregationem in octavam currentis menſis, volentes ut omnes Congregationes poſteà fiant poſt meridiem, ſi ita fieri poſſit.

Congregatio 8. Julii 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit ante omnia Clariſſimus D. Van Eſpen cathalogum omnium Amicorum à ſe confectum, cujus tenor & copia huic Libro noſtrarum Congregationum & Reſolutionum de verbo ad verbum habetur inſerta modo ſequenti.

Cathalogus omnium Amicorum jam Lovanii reſidentium.

In primis reperitur Clariſſimus D. Zegerus Bernardus Van Eſpen J. U. Doctor &c.
Doctiſſimus D. Goethals Philoſophiæ Profeſſor Primarius in celeberrimo Pœdagogio Falconenſi &c.
Reverendus Dominus Paſtor S. Quintini Lovanii.
Reverendus Dominus Vice Paſtor S. Quintini Lovanii.
Reverendus Dominus Paſtor Magni Begginaſii Lovanii.
Doctiſſimus Dominus Ladderſous Philoſophiæ Profeſſor Primarius &c.
Doctiſſimus D. Cinck Philoſophiæ Profeſſor &c.
Doctiſſimus ac Rdus. D. Melis Præſes Vigilantiſſimus Collegii Divæ Pulcheriæ.
Reverendus D. Alardus Vanden Steen Præſes Collegii Milii.
Reverendus D. Van Heck Regens Gymnaſii SS. Trinitatis
Doctiſsimus D. Laddereer Profeſſor Poëſios in Gymnaſio SS. Trinitatis.
Eximius D. Verſchuere S. Th. Doctor, Præſes Collegii Alticollenſis.
Reverendus D. Vivien Canonicus Divi Petri Lovanii &c.
Reverendus D. Verniel &c.
Reverendus Pater Baert Prior Conventûs S. Auguſtini &c.
Reverendus Pater De Fraye Viſitator Ordinis S. Auguſtini Lovanii,
Reverendus Pater Santerre Regens ſtudii Conventûs S. Auguſtini Lovanii.
Magiſter Denique Impreſſor noſter.
Conſultiſsimus D. Eſsinck Advocatus &c.
Et Clariſsimus D. Peeters Medicinæ Doctor &c

Et Amici, viſo hoc cathalogo, egerunt gratias Clariſsimo D. Van Eſpen, læti numerum eſſe auctum, & cum tempore auctiorem fieri: inſuper rogarunt Clariſsimum D. Van Eſpen, ut dignetur ſcribere Amicis in aliis civitatibus, ut ipſi pariter cathalogum conficiant, ut cerni poſsit numerus Amicorum in Belgio habitantium, quo cathalogo viſo & examinato, pergent ſeriò de negotiis ſuis deliberare, agentes Clariſsimo D. Van Eſpen gratias, quòd hunc ca-

thalogum huic libro inſeruiſſet in perpetuam rei memoriam.

Et proximam Congregationem indixerunt in 19. currentis menſis, ut intereà præfatus cathalogus haberi poſsit.

Congregatio 19. *Julii* 1706.

Convenerunt Amici, & Clariſsimus D. Van Eſpen prælegit Epiſtolas, quibus indicatur, numerum Amicorum hîc & ibi degentium eſſe auctum & quotidiè augeri: quibus Epiſtolis lectis propoſuit Clariſsimus D. Van Eſpen, quid ulteriùs circa inquiſitionem numeri Amicorum ſit adhuc faciendum.

Et Amici dixerunt, prælectas Epiſtolas ſibi ipſis ſufficere.

Et rogarunt Clariſsimum D. Van Eſpen, ut in proxima Congregatione aliqua proponere dignetur, ſuper quibus maturè deliberandum exiſtit.

Et proximam Congregationem indixerunt in 28. currentis menſis.

Congregatio 28. *Julii* 1706.

Convenerunt Amici, & Clariſsimus D. Van Eſpen propoſuit Amicis, quandoquidem bellum his in partibus ex optato ſuccedat, & fortuna ab Hollandica Gente ſtet, & pervenerimus ſub iſtud ſuave jugum Hollandorum Statuum, ad quod tam diu anhelavimus, utrùm non cenſeant, primò negotia D. Gerberonii contra Archiepiſcopum Mechlinienſem in materia Appellationis coram Ampliſsimo D. Abbate S. Gertrudis eſſe proſequenda omni vigore, & Archiepiſcopum per hanc litem ſummoperè eſſe vexandum, cùm pars ſit in cauſa, quandoquidem ipſe mandatum dederit in hac cauſa Procuratori Tourteau: Secundò tentandum eſſe reditum P. Quenelli in hoc Belgium, ut ipſe viâ juris Archiepiſcopum ſuper injuriis & aliis rebus invadere poſsit: Tertiò executioni curandum eſſe mandari ſententiam latam in favorem Caroli Du Cellier, contra Promotorem noſtrum: Quartò tentandum eſſe reditum Domini Opſtraeten & Eximii D. Hennebel in Univerſitatem Lovanienſem: Quintò litem Domini Gautii contra Eximium P. Deſirant eſſe denuò in Conſilio Brabantiæ proſequendam: Sextò litem Clariſsimi D. Van Eſpen, ſcilicet meam contra Strictum Collegium jurium omni vigore eſſe proſequendam: Et ſeptimò negotia Eruditiſsimi D. Vanden Neſſe contra Archiepiſcopum eſſe iterùm proſequenda, & ita cætera omnia negotia Amicorum eſſe expedienda, cùm nimis longum foret de uniuſcujuſque in particulari negotiis proponere.

Et reſolutum eſt, omnes antedictas Propoſitiones eſſe executioni mandandas, & ad omnes Amicos copias hujus Reſolutionis eſſe mittendas.

Ulteriùs propoſuit Clariſsimus D. Van Eſpen, utrùm Amici ſint parati ſibi mutuò opem ferre per conſilia & nummos & alia inſtrumenta.

Et Amici reſponderunt ſe eſſe paratos: quibus auditis Clariſsimus D. Van Eſpen omnibus Amicis egit gratias.

Et proximam Congregationem indixerunt in 3. Auguſti 1706.

Congregatio 3. *Auguſti* 1706.

Convenerunt Amici, & eis propoſitum fuit, primò, utrùm ſemper unanimes ſint permanſuri; ſecundò, utrùm adhuc velint approbare Reſolutiones in noviſsima Congregatione cäptas.

Et Amici perſiſtunt in Reſolutionibus ſuis in præcedenti Congregatione ſumptis.

Et proximam Congregationem indixerunt in undecimam Auguſti, ſi fieri poſsit.

Con-

Congregatio 11. *Auguſti* 1706.

Convenerunt omnes Amici, quibus Clariſsimus D. Van Eſpen retulit, ſe recepiſſe ab aliquibus Amicis litteras, quibus indicatur, Capitulum Auguſtinianorum quàm primùm celebrandum fore Mechliniæ, quamobrem dignaremur deliberare ſuper negotiis Eximii Patris Deſirant in iſto Capitulo ad onus ejuſdem definiendis.

Quibus auditis, iterùm reſolutum fuit, unanimes permanere, & à ſe mutuò numquam deficere.

Deinde reſolutum fuit, congregandos iterùm Amicos in 15. diem currentis menſis, ad denuò deliberandum ſuper negotiis ſe mutuò concernentibus, & ſuper negotiis Eximii Patris Deſirant, nimirùm de horto, cubiculo intercepto, de Famulo ſuo *Fidele*, de Secretario ſuo Patre d'Herbe, de Rheda, & de aliis rebus eum concernentibus, deinde habebatur: Congregatio erit 15. Auguſti, utì antè reſolutum eſt.

Congregatio 15. *Auguſti* 1706.

Convenerunt omnes Amici & eis propoſuit Clariſſimus D. Van Eſpen, quale medium poſſit adhiberi, nè Epiſtolæ Amicorum ad ſe mutuò ſcribentium intercipiantur, & nè poſteà poſſent inde oriri difficultates.

Et reſolutum eſt, fingi debere ſigna, vel tantùm debere ſcribi ſemper primas litteras ſuorum nominum.

Et eodem die compoſitum fuit Formulare ſequens, præſentibus omnibus Amicis.

Formulare, quomodò nomina noſtrorum Amicorum ad ſe mutuò ſcribentium, debeant ſcribi, vel notari, in Epiſtolis & chartis, nè fiant noti, ſi illæ litteræ intercipiantur.

DUm Clariſsimus Dominus Van Eſpen ſcribit, ponat ita cum pronominibus.	Z. B. V. E.
Dum Dominus Heemans ſcribit,	Æ. H.
Dum Dominus Melis ſcribit,	P. M.
Dum Dominus Vanden Steen ſcribit,	A. V.
Dum Magiſter Denique ſcribit,	Æ. D.
Dum Pater Ballexo ſcribit,	E. B.
Dum Pater Van Wavre ſcribit,	P. V.
Dum Pater Tax ſcribit,	P. T.
Dum Pater Baert ſcribit,	J. B.
Dum Pater De Fraye ſcribit,	A. D.
Dum Du Cellier ſcribit,	C. D.
Dum Dominus Vanden Neſſe ſcribit,	V. N.

Dum Dominus Cinck ſcribit, vel aliqui alii, ſemper ſcribant primas litteras ſuorum nominum.

Et ut brevi abſolvamus, pro omnibus Amicis datur hæc generalis Regula, ut omnes Amici ponant tantùm ſemper primas litteras ſuorum nominum, nè poſteà fiant noti, & hoc modo facillimè poterunt omnes difficultates vitari.

Formulare ſignorum, ſi qui tantùm ſignum fingere ſeu ſcribere volunt.

DUm Clariſſimus Dominus Van Eſpen ſignare vult, ſigno ita hoc modo. 
Dum D. Vernielen ſignare vult, ita hoc modo. 
Dum D. Vivien ſignare vult, ita hoc modo.
Dum D. Heemans ſignare vult, ita hoc modo. 
Dum D. Opſtraeten ſignare vult, ita hoc modo. 
Dum D. Paſtor Begginaſii Magni Lovanii, ſignare vult, ita hoc modo 
Dum Eximius D. Hennebel ſignare vult, ita hoc modo. 
Dum D. Melis ſignare vult, ita hoc modo. 
Dum D. Goethaels ſignare vult, ita hoc modo. 
Dum D. Vanden Steen ſignare vult, ita hoc modo.
Dum Magiſter Denique ſignare vult, ita hoc modo.
Dum D. Cinck ſignare vult, ita hoc modo. 
Dum D. Vanden Heck ſignare vult, ita hoc modo.
Dum D. Ladddereer ſignare vult, ita hoc modo, 
Dum D. Paſtor S. Quintini ſignare vult, ita hoc modo.
Dum D. Du Cellier ſignare vult, ita hoc modo.
Dum Pater De Hondt ſignare vult, ita hoc modo. 

Dum D. Vanden Neſſe ſignare vult, ita hoc modo.
Dum R. Pater De Fraye ſignare vult, ita hoc modo.
Dum R. Pater Baert ſignare vult, ita hoc modo.
Dum R. Pater Santerre ſignare vult, ita hoc modo.
Dum D. Ladderſous ſignare vult, ita hoc modo
Dum Eximius D. Verſchueren ſignare vult, ita hoc modo.
Dum R. Pater Ballexo ſignare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater Wynants ſignare vult, ita hoc modo.

Dum R. Pater Van Wavre ſignare vult. ita hoc modo.
Dum R. Pater Tax ſignare vult, ita hoc modo. 

Dum D. Krys ſignare vult, ita hoc modo.

Et ita illi quorum ſigna hîc non ſunt ficta, poterunt ſibi fingere ſigna, ſingulis Amicis ante omnia ea ſignificare tenebuntur, ut illa poſſint noſcere : longum enim nimis foret, omnia ſigna ſingulorum Amicorum notare.

Ulteriùs reſolutum fuit, mittendas eſſe copias horum inſtrumentorum ad omnes Amicos ubique, ut illa noverint.

Denique reſolutum fuit, characterem cujuſque Amici debere mutari & variari, nè poſteà noſcantur propter characteres, vel quiſque debet curare per unum fidelem hominem ſub juramento ſua negotia ſcribere, ſi facultates habeat.

Deinde reſolutum fuit, inhærendum eſſe anterioribus Reſolutionibus, de unanimitate Amicorum.

Deinde reſolutum fuit, omnia Amicorum propoſita executioni fore mandanda quàm primùm, nimirùm litem D. Leonardi Gautii contra noſtrum Eximium Patrem Deſirant eſſe proſequendam, litem Clariſſimi D. Van Eſpen contra ſtrictum Collegium Jurium eſſe reſumendam, & in ea omni vigore juris eſſe pergendum, negotia D. Hennebelli contra Regentes ſtrictæ Facultatis Theologicæ, & maximè contra Eximium D. Martin eſſe agenda omni vigore Juris, & ita de omnibus cæteris, prout dictum eſt in Reſolutionibus captis 28 Julii præteriti.

Et cùm tempus foret elapſum ad deliberandum ſuper negotiis Eximii Patris Deſirant, prout latiùs in Congregatione de 11. currentis menſis, ideo proximam Congregationem indixerunt in 23. currentis menſis, cui omnes Amici intereſſe tenentur.

Congregatio 23. *Auguſti* 1706.

Convenerunt omnes Amici, & Clariſſimus D. Van Eſpen propoſuit Amicis, utrùm eis placeret deliberare ſuper negotiis Eximii Patris Deſirant, prout reſolutum fuit in duabus antecedentibus Congregationibus, quandoquidem in noviſſima Congregatione de decima-quinta menſis hujus tempus defuerit ad deſuper deliberandum.

Et unanimi conſenſu reſolutum fuit, ante omnia Eximium Patrem Deſirant Bruxellas aut ad alium Conventum curandum eſſe amoveri, eique injungendum eſſe à ſuo Superiore ut chorum & refectorium frequentet, veluti unus alter Monachus, hortum ſuum funditùs eſſe evertendum, ſuum famulum expellendum eſſe, Secretarium ſuum Patrem d'Herbe, & Confeſſarium eſſe dimittendos, prohibendum eſſe ei ſub præcepto obedientiæ nè rhedà ampliùs utatur, vel ſi Capitulum Eximium Patrem Deſirant amovere aliquas ob rationes nolit, reſolutum fuit ulteriùs, creandum Lovanii eſſe Superiorem ei offenſum, & qui in eum animadvertere non deerit, ei aſſignandum eſſe ſocium, qui omnia explorare & referre poterit ſuo Superiori, quid agat, quò tendat, & quæ negotia habeat, & à quibus viſitetur.

Deinde ulteriùs reſolutum fuit, has Reſolutiones indicandas eſſe iſti proximo futuro Capitulo ſeu Definitorio ; demonſtrando, non poſſe meliora media excogitari ad frangendam audaciam iſtius hominis perturbatoris omnium Amicorum, quàm hæc antè dicta, ſicuti Definitorium etiam poterit colligere.

Et proximam Congregationem indixerunt in 1. menſis Septembris 1706.

Congregatio 1. *Septembris* 1706.

Convenerunt Amici, Doctiſſimus D. Goethals, nomine Clariſſimi D. Zegeri Bernardi Van Eſpen propoſuit, utrùm nollent Eximium D. Sullivane inducere, ut pariter viâ juris aggrederetur Eximium D. Daelman, ad ita ſimul obruendum negotiis totam ſtrictam Facultatem Theologicam, quandoquidem certò ſuſceptura ſit partes Eximii D. Martin, & Eximii D. Daelman.

Et reſolutum fuit, rogandum eſſe Clariſſimum D. Van Eſpen, ut ipſemet inducere dignetur Eximium D. Sullivane ad opus prædictum: demonſtrando ei, omnia ex optato ſucceſſura eſſe, protectionem Hollandicam nobis non eſſe defuturam: ulteriùs dicere poterit, quòd nequaquam Archiepiſcopum Mechlinienſem vereri debeamus, cùm Hollandica protectio præferenda ſit protectioni iſtius Archiepiſcopi, qui nos ſemper proſternere conatus fuit: & plura alia Clariſſimus Dominus referre poterit, ut eum ad præfatam operam inducat.

Et indixerunt proximam Congregationem in diem quartam hujus menſis.

Congregatio 4. *Septembris* 1706.

Convenerunt Amici, & propoſuit Clariſsimus D. Van Eſpen, utrùm ſint parati Eximium D. Sullivane adjuvare, ſi aggrediatur Eximium D. Daelman viâ juris, ut detrudatur ex ſtricta Facultate Theologica.

Et unanimi conſenſu reſolutum eſt, ſe ſemper eſſe paratos ad juvandum Eximium D. Sullivane.

Quâ Reſolutione visâ Clariſſimus D. Van Eſpen egit gratias Amicis, promittens ſe Eximium D Sullivane ad præfatum opus eſſe inducturum.

Et proximam Congregationem indixerunt in 16. currentis menſis.

Congregatio 16. *Septembris* 1706.

Convenerunt omnes Amici, & propoſuit eis Clariſsimus D. Van Eſpen: Primò, utrùm ſemper ſint conſervaturi fidem ſibi mutuò datam, maximè hoc tempore; cùm omnia Amicorum negotia ſint in manibus Judicum poſita &c.

Secundò, utrùm ipſis placeat adhuc, ut mittantur copiæ iſtarum Reſolutionum captarum adversùs Eximium Patrem Deſirant in Congregatione de 23. Aug. noviſſimi, aut in epiſtola ſcribenda ad Eruditiſſimum Patrem Ballexo Provincialem noſtræ Reſolutiones ſignificentur, quandoquidem Capitulum Provinciale RR. PP. Auguſtinianorum inſtet.

Ad primum articulum reſolutum eſt, ſeſe inhærere prioribus Reſolutionibus. Ad ſecundum articulum reſolutum eſt hoc committi Clariſſimo D. Van Eſpen.

Et proximam Congregationem indixerunt in 20. currentis menſis ante meridiem.

Congregatio 20. *Septembris* 1706. *ante meridiem.*

Convenerunt Amici, & prælegit eis Clariſſimus D. Van Eſpen epiſtolam mittendam ſuper negotiis Eximii Patris Deſirant ad Eruditiſſimum Patrem Ballexo Mechliniam, & ex eis quæſivit utrùm mittenda ſit eo modo, quo prælegit.

Et unanimi conſenſu reſponderunt eſſe mittendam eo modo, quo jam prælecta fuit.

Et proximam Congregationem indixerunt in 29. Septembris 1706. poſt meridiem.

Congregatio 29. *Septembris* 1706.

Poſt meridiem convenerunt Amici, & prælegit Amicis litteras, quas ex Hollandia à R. Domino Krys receepit, quibus nobis unanimitatem commendat, & à

R. Domino Quenello, quibus nos ſummoperè rogatos habet, ut ipſius reditum in Belgium procuremus, ut ulciſcatur injurias nobis & ſibi per Illuſtriſſimum D. Archiepiſcopum illatas.

Quibus litteris lectis reſolutum eſt, præfatis Dominis indicandum eſſe, ſe muneri ſuo his in partibus non eſſe defuturos.

Et proximam Congregationem indixerunt in poſterum poſt meridiem, quandoquidem tempus deeſſet in hac Congregatione ad deliberandum ſuper aliis negotiis.

Congregatio 30. *Septembris* 1706.

Convenerunt Amici, & propoſuit eis Clariſſimus D. Van Eſpen, utrùm ſint contenti ſeſe permittere adſcribi numero Civium Amſtelodamenſium, ad vitandas oppreſſiones Romanorum, & ut ita frui poſſint protectione Hollandorum Statuum, præferendâ omnibus aliis, cùm jam ſint Dominatores totius Belgii.

Et reſolutum fuit, priùs deſuper maturè eſſe deliberandum, & ab aliis Amicis Bruxellis & alibi degentibus petendum fore, quid ipſis de hac propoſitione videatur.

Et ulteriùs reſolutum eſt, agendas eſſe gratias Eruditiſſimo Patri Ballexo, quòd noſtras Reſolutiones adversùs Eximium Patrem Deſirant captas, pariter in Definitorio Capituli Provincialis reſolvi curaverit.

Et proximam Congregationem indixerunt in 7 menſis Octobris 1706.

Congregatio 7. *Octobris* 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit eis aliquis nomine Clariſſimi D. Van Eſpen gratas litteras ex Hollandia à R. Domino Krys, quibus indicatur, ſi unanimiter pugnemus contra noſtros hoſtes, nos certò futuros dominatores.

Et reſolutum eſt, reſpondendum eſſe, nos ſemper pugnaturos acriter cum hoſtibus noſtris, & nos bella eſſe indicturos eorum Fautoribus.

Deinde reſolutum fuit, negotia Amicorum eſſe ſumnoperè expedienda quàm primùm, & inter alia proceſſum D. Gerberonii contra Illuſtriſſimum D. Archiepiſcopum eſſe proſequendum, cùm diù quieverit, & hoc negotium commiſſum fuit Clariſſimo D. Van Eſpen, qui terminos & ſcripta conficere non dedignabitur ad proſecutionem hujus cauſæ appellationis.

Ulteriùs reſolutum fuit, procurandum eſſe viâ juris reditum R. D. Quenelli, prout ei addictum eſt per noſtras epiſtolas, ut ipſe invadere poſſit Archiepiſcopum, adeoque eum & Aſſeclas omni negotiorum genere obruere.

Et proximam Congregationem indixerunt in 17. currentis menſis.

Congregatio 17. *Octobris* 1706.

Convenerunt Amici, & propoſuit Clariſſimus D. Van Eſpen, utrùm adhuc inhæreant anterioribus Reſolutionibus de proſecutionibus negotiorum Amicorum.

Et unanimi conſenſu reſolutum eſt, omnia negotia eſſe expedienda, & ſeſe adhuc inhærere anterioribus Reſolutionibus, volentes ut tam benè contra Archiepiſcopum Mechlinienſem agatur, quàm contra alios, quandoquidem per Hollandiæ protectionem multa negotia modò fauſtum exitum habuerint.

Et proximam Congregationem indixerunt in 30 currentis menſis Octobris.

Congregatio 30. *currentis menſis Octobris* 1706.

Convenerunt Amici, & relatum eſt Eximium Patrem Deſirant appellaſſe à Reſolutionibus captis in Definitorio Capituli Provincialis Mechliniæ celebrati

ad onus ejus, ad Reverendiſſimum Patrem Generalem Ordinis, quamobrem Patres Definitorii ſummoperè eſſe perturbatos.

Et unanimi conſenſu reſolutum fuit, ideo adhuc pergendum eſſe contra Eximium Patrem Deſirant.

Ulteriùs reſolutum eſt, ſe paratos eſſe Patres Definitorii adjuvare.

Et cùm tempus elapſum eſſet, ita ut non poſſet deliberari ſuper negotiis adhuc proponendis, ideo proximam Congregationem indixerunt in tertiam ſequentis menſis Novembris 1706.

Congregatio 3. *Novembris* 1706.

Convenerunt Amici, & propoſuit Clariſsimus D. Van Eſpen, utrùm hoc tempore omnes Reſolutiones in anterioribus Congregationibus captas velint generoſo animo curare executioni mandari, quandoquidem nullus ſit qui ipſis reſiſtere valeat, cùm Inter Nuntius jam ſit miles ſine armis, cùm Archiepiſcopus ipſemet protectione Statuum Hollandiæ egeat, & cùm totum Belgium ſit turbatum, & cùm noſtri hoſtes ſub protectione ſint nulla.

Et Amici deliberârunt, ſe contentos eſſe ut omnes Reſolutiones executioni mandentur, prout adhuc antè toties reſolutum fuit.

Et proximam Congregationem indixerunt in 13. currentis menſis.

Congregatio 13. *Novembris* 1706.

Convenerunt Amici, & eos rogavit Clariſſimus D. Van Eſpen, ut nequaquam obtemperent Inter-Nuntio, quandoquidem ſit homo perfidus, qui contra omnes Amicos, cum Archiepiſcopo, aperto marte vult agere, qui partes maximorum hoſtium ſuſcepit, nimirùm Deſirant & aliorum, qui ipſos proſternere tentabit, prout Archiepiſcopus tentavit: ſi enim non vult indicere bellum, qua de cauſa ſuſcipit partes Deſirantii qui maximus eſt hoſtis? Inſuper rogatos habuit Amicos, ut impediant confirmationem Inter-Nuntii, cùm, ſi confirmetur, majori vi & fortioribus armis ſit contra ipſos pugnaturus.

Et Amici hâc oratione auditâ, reſponderunt ſe nequaquam eſſe obtemperaturos Inter-Nuntio, & ſe daturos operam, nè confirmetur.

Hâc reſponſione visâ, Clariſsimus D. Van Eſpen indixit in 15. Novembris 1706. proximam Congregationem.

Congregatio 15. *Novembris* 1706.

Convenerunt Amici, & Clariſſimus D. Van Eſpen, propoſuit Amicis, utrùm velint fidem ſibi mutuò datam per aliquam chartam renovare? utrùm ſint parati reſpuere omnia Decreta quæ Illuſtriſſimus D. Inter-Nuntius, ſi confirmetur, feret? utrùm ſint parati defendere Illuſtres Propoſitiones Janſenii? & utrùm velint ſe permittere adſcribi numero Civium Amſtelodamenſium ad vitandas omnes difficultates quæ poterunt oriri.

Et unanimi conſenſu reſolutum eſt, conficiendam Actam quam omnes ſubſignare tenebuntur, per quam declarabunt ſeſe contentos eſſe, ut prædicta ita fiant.

Et proximam Congregationem indixerunt in 26. currentis menſis.

Congregatio 26. *Novembris* 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit Clariſſimus D. Van Eſpen litteras quas ex Hollandia ab aliquot diebus recepit, & ab eis petivit, quid ſit ulteriùs faciendum?

Et unanimi conſenſu eſt reſolutum, eſſe reſpondendum debito cum reſpectu.

Et proximam Congregationem indixerunt in 5. menſis Decembris 1706.

Congregatio 5. Decembris 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit Clariſſimus D. Van Eſpen litteras quas ab Eruditiſſimo P. Ballexo recepit: quibus lectis Clariſſimus Dominus petivit, quid ulteriùs faciendum?

Et unanimi conſenſu reſolutum fuit, eſſe reſpondendum, & ſcribendum ad omnes Amicos, hîc tentaturos eſſe conamina ſceleſta Eximii Patris Deſirant frangere, & pariter impedire, nè ingrediatur Monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini, vulgò Martinienſium, ad ibi habitandum.

Et proximam Congregationem indixerunt in 30. currentis menſis, aliquas ob rationes.

Congregatio 30. Decembris 1706.

Convenerunt Amici, & prælegit Amicis chartam ſeu Actam iſtam à ſe confectam, de qua in Congregatione de 15. Novembris præteriti, ut eam ſignarent.

Et reſolutum eſt, eam priùs eſſe mittendam ad Amicos Bruxellis, ut ipſi eam etiam ſignent. Ulteriùs etiam reſolutum eſt, omnia ea ſub juramento debere taceri, quæ his in Congregationibus aguntur.

Et proximam Congregationem indixerunt in 2. Januarii 1707.

Congregatio 2. Januarii 1707.

Convenerunt omnes Amici, & Clariſsimo D. Van Eſpen novum felix anni auſpicium precati ſunt, ſicuti Clariſsimus D. Van Eſpen pariter omnibus Amicis novum felix anni auſpicium precatus eſt.

Et propoſuit primò Clariſsimus D. Van Eſpen, utrùm ſint ſignaturi Actam iſtam de qua in Congregatione de 15. Novembris noviſsimi &c. ſi fortè aliqui Amici Bruxellis ſeu alibi recuſarent ſignare, quia ipſi hîc priùs non ſignaverunt.

Secundò, utrùm Amici ſint contenti conficere unum novum Formulare nominum Amicorum ad ſe mutuò ſcribentium, ut vitentur omnes difficultates quæ poterunt inde evenire hoc anno.

Ad primum articulum reſponderunt ſe eſſe ſignaturos.

Ad ſecundum reſponderunt, ſe eſſe contentos.

Et ſine mora Clariſsimus D. van Eſpen confecit unum novum Formulare tenoris ſequentis.

FORMULARE *Nominum, quibus Amici debebunt uti in ſuis litteris ad ſe mutuò ſcribentes, ut omnes difficultates evadant, ſi quæ inde eveniant.*

CLariſſimus Dominus Van Eſpen vocabitur	*Fr. Valerianus.*
CEximius Dominus Hennebel vocabitur	*Fr. Paulinus.*
Eximius Dominus Verſchueren	*Fr. Pancratius.*
Eruditiſſimus Dominus Opſtraeten	*Primus Felicianus.*
Reverendus Dominus Paſtor S. Quintini	*Adolphus.*
Reverendus Dominus Vice-Paſtor S. Quintini	*Julianus.*
Reverendus Dominus Paſtor Begginaſii Magni Lovanii,	*Wenceſlaüs.*
Reverendus Dominus Melis Præſes &c.	*Gorgonius.*

Doctissimus Dominus Goethals	*Nicodemus.*
Doctissimus Dominus Laddersous	*Florentinus.*
Doctissimus Dominus Cinck	*Longinus.*
Reverendus Dominus Van Heck Regens &c.	*Philogonius.*
Reverendus Dominus Vivien Canonicus	*Florus.*
Reverendus Dominus Verniel &c.	*Nicasius.*
Dominus Laddereer Professor Poëtios	*Presidius.*
Reverendus Pater Baert Procurator Conventûs S. Augustini Lovanii	*Cornelius.*
Reverendus Pater De Fraye Visitator ejusdem Ordinis	*Vincentius.*
Reverendus Pater Santerre Lector ejusdem Ordinis	*Cyriacus.*
Magister Denique	*Faustinus.*
Reverendus Dominus Vande Nesse	*Rembertus.*
Dominus Du Cellier	*Pipinus.*
Reverendus Pater De Hondt	*Simeon.*
Reverendus Pater Tax Prior &c.	*Romanus.*
Reverendus Pater Ballexo	*Hermannus.*
Reverendus Pater van Wavre	*Calixtus.*
Reverendus Pater Wynants	*Victor.*

Et cùm nimis longum foret, unicuique ita dare suum nomen fictum, quisque poterit sibimet fingere aliquod nomen, & illud Amicis significare.

Notandum, nos posse Inter-Nuntio, Archiepiscopo, Gallis, Hollandis, Pontifici Romano, Generali Ordinis S. Augustini, Prioribus Conventuum Ordinum, si omnes istos in nostris litteris nolimus nominare, dare sequentia nomina.

Inter-Nuntius vocabitur	*Kilianus.*
Archiepiscopus	*Simplicianus.*
Galli	*Ludovini.*
Hollandi	*Fratres.*
Pontifex Romanus	*Anastasius.*
Generalis Ordinis Sancti Augustini	*Eduardus.*
Priores Conventuum Ordinis Sancti Augustini	*Leopoldi.*

Deinde ulteriùs resolutum, copias esse mittendas hujus novi Formularii ad omnes Amicos, ut omnia benè noverint; & rogandum esse, ut quisque suum characterem variet & mutari faciat, nè posteà noscantur prout adhuc est resolutum in Congregatione de 15. mensis Augusti 1706.

Et proximam Congregationem indixerunt in 14. mensis currentis, si fieri possit.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Notulæ in tres fasciculos litterarum Henrici Grasper, *& de Jansenistarum scopo in illis detecto.*

OBscura videntur pleraque, quæ in istis fasciculis continentur, licèt aliqua, eaque præcipua, post diligentem & frequentatam lectionem satis per se pateant. Ut verò Lector faciliùs assequatur sensum ab Authoribus intentum (de sensu scriptionis loquor) quasdam nŏtulas adjicimus, quibus non omnia quidem, quis enim hoc mysterium iniquitatis penetret, nisi ipsi? plurima tamen eluceścant.

Notandum imprimis, ex lectura patêre, quòd Adversarii in sua Conclusione finali, Altipotentibus Hollandiæ Statibus injuriam intulerint majorem, quàm Patri Desirant; seu potiùs, quòd illos indignè per latus Patris Desirant tentaverint in nescio quam invidiam trahere: ipsi viderint, in quos fines. An Sedi Apostolicæ voluerint minari, quònam se forent recepturi, nisi cuncta Romæ ad sua vota succederent; an reservatam sibi voluerint actionum & scriptionum suarum interpretationem, quâ, si res mutarentur, ambidextrè usuri essent; scire nefas.

Nostri certè Potentissimos Dominos, Clementissimo Regi Fœderatos, semper suspexerunt, honoraveruntque tamquam rei bellicæ auxiliatores, & cùm de solis limitibus quæstio esset, bellum hîc Religionis intercedere, constantissimè inficiati sunt. Nemo Politicus nescit, quantùm Potestatibus colligatis interfit, nè bellum præsens, seu directè, seu indirectè bellum Religionis putetur. Idipsum tum verbis, tum factis inclyti exercituum Duces, ceterique Officiales, quin etiam ipsi Milites ostenderunt. Templa nostra manserunt intacta: bona Ecclesiæ imminuta: nostrisque personis non solùm non illata injuria, verùm etiam servatus honos, & exhibita reverentia. Sivè Gentem Anglicanam, sivè Hollandicam, sivè Germanicam spectemus, omnes de honestate nobis impendenda certasse videntur. Neque defuimus muneri nostro. Honorem honoribus, & reverentiam reverentiis compensavimus, & in media fidelitate Principibus debitâ, conversati fuimus sine querela.

Solis Jansenistis cogitatio de Religione subiit, quasi Rameliæ & alibi, non de Regnorum finibus, sed de Jansenismo actum, pugnatum, triumphatumque fuisset.

Dissidium quod in Hollandia circa Constitutionem Vicarii Apostolici, inter Supremum Pontificem & Altipotentes Status subortum videtur,

numquid à Janſeniſtis? Contentiones Bruxellenſes, quæ totâ jam Europâ celebratæ ſunt, numquid à Janſeniſtis? Motus Lovanienſes, qui nova minabantur omnia, numquid à Janſeniſtis? Nullibi eſt bellum Religionis, & ubique de Religione certatur à ſolis Janſeniſtis. Non quòd ſolorum Presbyterorum certamina hæc eſſe contendam. Minimè gentium. Maximi pugnarum iſtarum incentores & moderatores, Presbyteri non ſunt. Inane Catholici nomen geſtant, illisque Presbyteris ad nova comparatis, authores ſunt ut inſoleſcant. Presbyteri occaſionem arripiunt, ut in Clero tentent Dominatum, illi verò parvum hoc Presbyteris iſtis imperium pollicentur, & adjuvant, ut hi ſuos quidem Compresbyteros Sedi Apoſtolicæ debitè ſubjectos ſuperent, ſic vincant tamen, ut in Eccleſiaſticis maneant ſubjecti quibus non debent, atque ita quantùm ex una parte videantur viciſſe, tantùm eos ex altera conſtet perdidiſſe. Res hæc duravit ſexaginta & ampliùs annos, tandemque pleniùs erumpit. Magnum incendium, quod modicâ aquâ reſtingui poſſet. Ardet autem & ardet, ardebitque, niſi quod ad manum eſt, & ſufficit, parvum in paucis exemplum pro remedio præſentiſſimo ſtatuatur. Conſervet Deus Optimus, Maximusque Sacram Perſonam Regiam, brevi hæc negotio reſtituet rem.

Non eſt dubium, quin Janſeniſtæ ſtatim ſint exclamaturi, atrociſſimam calumniam eſſe, quòd de bello Religionis cogitaverint. Quin etiam, ſi poſſint, audebunt contendere, non tam ſibi, quàm Poteſtatibus injuriam irrogari, dum de bello Religionis ſermo fit.

Sed jam prævenimus, & Auguſtas Poteſtates nihil minùs quàm de bello Religionis cogitaſſe monſtravimus. Janſeniſtarum verò opera tam ſunt manifeſta, ut ea abſcondere non ſit ampliùs in illorum poteſtate. Si aſſerant, nullam extare Poteſtatem, quæ ad bellum iſtud obtulerit illis, aut dederit adjutrices manus. Etiam hoc confitebimur. Nullam Poteſtatem arguimus. Abſit. Janſeniſtarum facta perſequimur malè recurrentium, non Poteſtatum auxilia, quæ nondum vidimus, non Decreta Regnantium.

Poſſuntnè Janſeniſtæ negare, quòd abutentes conditione præſentis temporis, excitaverint ſeptem Lovanienſes Theologos ſtudentes, qui obtulerunt atque ſignaverunt libellum ſupplicem, ſeculari Brabantiæ Conſilio exhibitum, in quo rogaverunt, & concluſerunt, ut Lovanii abrogaretur exactio Formularii Alexandri ſeptimi, quod exigitur juxta Conſtitutionem Apoſtolicam Clementis XI. feliciter regnantis? Numquid erat hæc ſolemniſſima materia Religionis? Libellus ille anno proximè ſuperiori à Concilio Brabantiæ rejectus eſt. Scimus qualiter id ac-

ciderit, & alia de libello isto novimus, quæ ex modestia tacemus. Numquid hoc est, quod statim diximus, mala malè recurrentium consilia culpari, non Decreta Regnantium? Non fit injuria Principi, dum reverenter exponitur, extare subditos, qui eorum potentiam in malos fines implorant; sed fit injuria Reipublicæ, dum tales subditi semper taliter implorant, & se implorare semper negant.

Et ut magis ad rem veniamus, numquid in primo Henrici Grasper fasciculo binas *memorias* vidimus, in quibus directè impetitur, proscinditur, & apud Potestates accusatur Authoritas Pontificia?

Numquid idem Henricus Grasper in secundi fasciculi Epistola prima de Licentiato Guilielmo vanden Nesse, famoso Ecclesiæ Divæ Catharinæ Deservitore Bruxellis, amicorum nomine scribit: *Causa Bruxellensis non est quidem in malo statu, sed cùm Consilium* (Statûs scilicet) *sit nonnihil flaccidum, timetur nè illa omnem optatum exitum non recuperet, & interim cùm* DEPUTATI *adhuc tardant, & negotium ejus est in relatione, forsan ante ipsorum adventum fuerit expedita?*

Numquid ejusdem Henrici Grasper hæc sunt verba Epistolæ primæ fasciculi primi, *Hennebelli causa rejecta non est, sed exspectat ventum faventem ex* HOLLANDIA, *ubi* DOCTORES *redierint?*

Possuntnè negare, quòd idem Henricus Grasper Epistolâ secundâ fasciculi secundi Lovanii, Lovaniensium amicorum, ùt vocat, nomine scripserit, *omnia negotia stant hîc adhuc prout anteà, in eodem æstu. Cum adventu* DEPUTATORUM *expectatur mutatio, & speratur quòd omnia accipient novam speciem*, sivè *faciem?*

Nos non dicimus, quòd Excellentissimi Domini Deputati hæc scripserint, scribi fecerint, aut scripta fuisse noverint, aut consenserint. Absit. Hoc dicimus, quòd Jansenistæ abutentes circumstantiis temporis, negotia Religionis præsenti bello, quantùm in ipsis erat, immiscuerint. Et quidem nobis hoc in aliis suis scriptis objiciunt, exprobrant, atque insultant; quid? quòd ut nos odiosos reddant, negent, nosque de falsa criminatione falsò accusent. De cetero etsi toti vellent ab Ecclesia recedere, nihil hoc ad nos.

Nihil erit Romano Sacerdotio purius, quàm ubi Jansenistæ fuerint aut conversi, aut à nobis penitùs separati. Ut convertantur, tamquam mater pro filiis Romana orat Ecclesia. Ut autem, si nolint resipiscere, palam à nobis exeant, tristis necessitas communis boni exigit. Postquam verò abierint, nihil cogitent nos perdidisse. Numerus numero restaurabitur, etiam per illos qui ex aliis Communionibus indies ad nostram accedunt. Hoc verò inter accedentes & recedentes interesse videmus,

quòd qui accedunt, plerumque virtutibus moralibus ſint inſtructi, quæ in ipſis per Romanam fidem augentur ; qui recedunt autem, omnes omninò de infandis vitiis, horrendisque laxitatibus notati ſint, quæ difficillimè emendabuntur. Habemus ergo quòd de accedentibus lætemur. Habemus etiam quòd de recedentibus contriſtemur, ſed propter ipſos qui pereunt, non propter nos qui perpurgamur. Habeant ipſi quod voluerint, dummodò conſiderent quid amiſerint.

Notulæ ad §. I.

SUprema primi faſciculi, quem Petrus Nicolaus Tourteau die 16. Februarii 1707. totum apertum attulit, inſcriptio eſt, *Domino Jacobo Krys, Amſtelodami.* Et ſimiliter ſuprema faſciculi, cui Liber Reſolutionum incluſus fuerat, cum litteris ſignatis Z. B. V. E. quem idem Petrus anteà die 27. Januarii ejuſdem anni, attulerat, inſcriptio fuerat *Domino Jacobo Ignatio Krys Amſtelodami.* Et quod magis notandum eſt, præfatus Z. B. V. E. ibidem ita ſcripſerat : *Non ampliùs fido iſti ſocio, qui ſcripſit Epiſtolas noſtras, quandoquidem nimis ſæpè habeat negotia cum noſtris inimicis.*

Nihil fuit naturalius, quàm apprehendere, quòd Z. B. V. E. nolens ampliùs uti operâ Petri ſui, eò quòd jam crederet hunc Patri Deſirant familiarem eſſe, & in ejus negotiis, abſente Patre Franciſco d'Herbe, pro Amanuenſi impendi, adhibuiſſet, & impoſterùm adhibiturus eſſet Henricum Graſper. Et ipſe Petrus hoc argumento utebatur apùd Patrem Deſirant, ad probandam ſuam fidem.

Et quidem hoc eſſe Doctori van Eſpen in more poſitum, quòd ſuſpectos habeat illos, qui accedunt Patrem Deſirant, patet ex acta, quam die 19. Aprilis 1707. contra R. P. Leopoldum dedit, ubi fatetur ſe petiviſſe in terminis : *Sed Reverende Pater, dicitur ſcriptum illud eſſe in manibus Patris Deſirant; an forſan Reverentia veſtra ipſi tradidit, aut communicavit? quia audio veſtram Reverentiam ſæpiùs adeſſe illi Patri.*

Concluſio finalis, quam equidem non audebit fictam dicere, idem argumentum movet in verbis : *Poteratnè Reo incidere, Clariſſimo D. van Eſpen, cæteriſque omnibus ei junctis conſpiratoribus, etiam ſui Ordinis Patribus ignotum eſſe, quòd hic Petrus jam à pluribus menſibus ipſi eſſet familiaris, & pro Amanuenſi impenderetur ?* Art. 184.

Si Petrus faſciculum ſignatum Z. B. V. E. attuliſſet ultimo loco, tunc ùt ſummum aliquis ſuſpicari debuiſſet, quòd contenta ejus excerpſiſſet ex litteris Graſper, vel ex acta Doctoris van Eſpen, vel ex ejuſdem Concluſione finali. Jam verò cùm Adverſarii ſint in confeſſo, quòd Pe-

trus illum tulerit perfectum, antequam reliqua fuiſſent inchoata, hinc manifeſtè conſequitur, quòd P. Deſirant bonâ fide crediderit, omnia vera eſſe, & antequam crediturus ſit, eſſe falſa, debet priùs *Frater Antoninus* oſtendere, quomodò ſit poſſibile, ut Petrus ad eundem Jacobum Krys in illo menſe Januario perſcripſiſſet fingendo, quæ Henricus Graſper poſteà in menſe Februario, ad eundem Jacobum Krys ſcripſit, rem cogitando.

Prima Epiſtola ſcripta, ſed non ſubſcripta fuit manu Henrici Graſper.

Cauſa Hennebelli conſiſtebat in prætenſione, quam formaverat ad locum in ſtricta Facultate Theologica, ex qua prætendebat deturbare Doctorem Franciſcum Martin. Cauſa tunc hærebat in Concilio Statûs, Relatore D. Conſiliario Caverſon, & fuit poſteà remiſſa ad Concilium Brabantiæ. Et licèt præfata Doctoris Hennebel prætenſio fuiſſet Romæ à ſacra Congregatione S. Officii anno 1702. caſſata & annullata, *utrâque parte informante*, ſcivit tamen Doctor Martin cum Doctore Hennebel ita convenire, ut immolato Patre Deſirant, uterque maneat in poſſeſſione, Doctore Hennebel aſſumpto in locum Patris Deſirant, Sede Apoſtolicâ inconſultâ. An forſan Doctor Martin in eum finem ſe Janſeniſtis junxerit, & ſponte ſuâ, non rogatus, falſum illud, & ſingulare teſtimonium *de auditu* dederit, in Concluſione finali art. 107. res eſt altioris indaginis.

Quis ſit ille *Kromneus*, nos latet.

Imagines de quibus hîc agitur, ſunt veroſimiliter effigies ipſorum Heroüm, *de nos Heros*, prout in Cauſa Quenelliana dicitur, id eſt, Janſenii, Arnaldi, Sancyrani, aliorumque, quas ſatis in pretio habent.

Ita pariter à D. Jacobo Krys petebatur *effigies Huygenii*.

Quis ſit ille Lovanienſis *amicus benè notus*, qui tam ſollicitus fuit, ut Jeſuitæ per operationes D. Jacobi Krys Presbyteri, in Sylva-Ducis acciperent partem difficultatum, quæ ipſis in Hollandia motæ fuerant, ignoramus. Poſſet deſuper interrogari Henricus Graſper, qui hanc Epiſtolam ſcripſit, & examinari, an & quarè hunc amicum non indicaverit D. Petro Melis Præſidi ſuo, cujus tunc Procurator erat. Nam D. Melis procul dubio negabit, ſe hunc amicum eſſe, vel noſſe.

Eant nunc, & Romæ calumniatorem, atque prout ab annis aliquot fecerunt, impoſtorem vocent, qui ullum è Clero Hollandiæ aſſerat, iſtis difficultatibus ſe immiſcuiſſe, & millena ſacramenta offerant, ſe neminem ſcire, qui tale quid attentaſſet. Convicti ſunt tandem robore digitorum ſuorum.

Ad §. II.

HÆc quoque Epiſtola tota ſcripta eſt manu Henrici Graſper, ſignata *H. Graſp*. Nec mirum, quòd taliter ex parte ſignata fuerit, quiâ nihil momentoſi tractatur in illa.

Ad §. III.

ETtiam hæc Epiſtola tota ſcripta eſt manu Henrici Graſper, & ab eodem ſubſignata *H. Graſper*. Nihil de Janſeniſtarum negotiis in ea continetur: non mirum ideo, quòd taliter ſubſcripta fuerit.

Ad §. IV.

HÆc Epiſtola ſcripta eſt nonâ Februarii 1707. manu nobis ignotâ. Subſignata eſt unicâ litterâ majuſculâ M. Author appellatur ab ipſis *Muſius*: prout conſtat ex Epiſtola ſub paragrapho 6. ubi dicitur, *reliqua ſunt in manibus Muſii & Hortulani*. Non exprimitur etiam locus, undè Muſius hanc Epiſtolam ſcripſerit

Quis ille *Muſius* ſit, quis *Hortulanus*, & quis *Finiol*, qui Epiſtolam ſub dicto paragrapho ſexto exhibitam ſignavit, & an ſint vera vel ficta nomina, non vacavit hactenùs indagare.

Hoc obſervandum, quòd tres Epiſtolæ ſub paragraphis quarto, quinto, & ſexto, & item duæ memoriæ ſub paragraphis ſeptimo & octavo reproductæ, ab Henrico Graſper non ſcribantur, ſed remittantur ad D. Jacobum Krys Presbyterum, qui hæc quinque inſtrumenta anteà D. Henrico Graſper miſerat, communicanda amicis Lovanienſibus.

In hac Epiſtola ſub quarto paragrapho nominatur quinta perſona nomine *Huſſius*.

Scripta fuit ad D. Jacobum Krys, cum lætitia de ipſius *zelo ſingulari*. Hic Muſius in memoria majori ſub §. octavo paucas mutationes fecit, de quibus infrà. Memoriam breviorem ſub §. nono, vocat *noſtram*, & de illa in numero plurali dicit: *Uſi fuimus apud R. P. & alios*. Quemnam per R. P. intelligant, poſteà audivimus. Degit plerumque Hagæ-Comitis, quæ in Epiſtola ſub §. 7. nominatur Hofſtadt, id eſt, *Oppidum Curiæ*.

Dictæ memoriæ communi ſtudio examinatæ & contra *Inſulenſem*, id eſt Rev.mum D. Adamum Damen Archiepiſcopum Adrianopolitanum, & Vicarium Apoſtolicum impenſæ fuerunt, ad impediendam poſſeſſio-

nem ejus, eundemque excludendum. *Musius* sibi adulatur, quòd non tantùm præfatus *Insulensis*, sivè Vicarius Apostolicus nihil obtenturus sit, verùm etiam, quòd ipse D. Vicarius Prætori Ultrajectino scripsisset, *quòd velit ab officio desistere, nisi res magis prosperè procedat, quàm hactenùs*, prout Domicella quædam retulisset, se audivisse ex Secretario Civitatis, qui Vicarii Epistolam legisset. *Sic scribit Felinus*, inquit. Procul dubio D. Cats Missionarius Ultrajectinus.

Et ut Insulensi in Civitate Amstelodamensi negotia fiant, proponit D. Jacobo Krys exemplum Jesuitæ, cui *Roterodami officium interdictum est*, & Missionarii, quem vocat *Heine* apud Gaudam. An hæc omnia tam concorditer moliantur ex illa Christiana, quam sibi passim arrogant, simplicitate, & utrùm hæc præstent sine Congregationibus, infrà videbitur.

Ad §. V.

EPistola hæc non est signata, scripta videtur ab eodem, qui subsequentem exaravit sub paragrapho sexto, vel certè uterque scriptor est cohortis Leidensis.

Utrobique oppidum designatur litterâ L., id est *Leidæ*. Hæc Datam exhibet septimam diem Februarii 1707., subsequens nonam. Hæc inter alia dicit, *perendie cum Deo imus in Hofstadt*; subsequens dicit: *jam jam venio ex Hofstadt*. Ea namque est tum vicinia, tum navium commoditas inter Leidam & Hagam-Comitis, ut brevis temporis spatio ire & redire facile sit.

Quisnam porrò sit D. *Lobs*, ignoramus.

Hujus Epistolæ Author etiam in memoria majori quasdam mutationes fecit, *sed non in substantia rei*.

Omnes in eo sistunt, quòd *Vicarius Apostolicus debeat fuisse electus juxta consuetum morem harum regionum*.

Id est tenaciter adhærent instructioni, quam illis scripto dederat *Frater Antoninus*, prout hic confitetur in Epistola ad Patrem Paschasium Quenellum data, cujus Originale vidimus, & infrà reproducemus copiam, prout impressa extat in libro cui titulus, *Causa Quenelliana*.

Diffidunt de D. *Bass*. quem non cognoscimus. Est procul dubio vir probus, quandoquidem non benè de illo loquantur.

Designantur Capita proscribendorum. Vicarius Apostolicus ex Hollandia: *J. Heinen* ex Waddinxveen; *van Vliet* ex Osdorp. De Jesuita Roterodamensi in præcedenti Epistola egit *Musius*, & Henricus Grasper in Epistola sub §. 2. nomine amici designavit Jesuitas ex Sylva-Ducis. Item

uni ex ſegnibus, ſivè ſtertentibus metus injiciendus. Stupidi deponendi, illisque ſufficiendi D. Jacobus Krys cum fratre ſuo, & Domino de Graef.

At ſingulariter in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt, inquit. Actum eſt: jacta eſt alea.

Ad §. VI.

HÆc Epiſtola ſignata *Finiol*, data fuit Leidæ die 9. Februarii 1707. ſtatim ut Author redierat ex *Hofſtadt*, id eſt Haga-Comitis. *Alwaer de gewoonelycke ronde is geſchiedt*: id eſt, *ubi ſolita Congregatio facta fuit.* Contendit D. Henricus Malcorps in ſua reſponſione ad Concordantiam, quòd vox *ronde*, non ſignificet Congregationem, ſed circuitum. Verum diceret, ſi pro voce *geſchiedt*, poſitum fuiſſet, *is gedaen*. Sed ad hoc infrà fuſiùs reſpondebitur, ubi oſtendetur, quòd naturalis ſenſus Epiſtolæ cum ſuis circumſtantiis exprimat & circuitum & Congregationem ſimul.

Ad §. VII.

HÆc eſt prima memoria, quâ Muſius cum ſuis uſus eſt, prout ſuprà §. quarto vidimus. Memoria ſecunda eſt prolixior, de qua agemus §. mox ſequenti.

Neutra habet inſcriptionem, vel ſubſcriptionem, multò minùs Apoſtillam: ita ut Pater Deſirant, dum primùm legit, meritò cenſuerit, eſſe opera privatorum, quæ ſine ullius publicæ Poteſtatis injuria poſſent diſcuti.

Tota hæc memoria eò tendit, ut apud Potentiſſimos Hollandiæ Status, à prætenſis Romano-Catholicis, R.mi D. Adami Damen, veri Romano-Catholici, procuretur excluſio à Vicariatu Apoſtolico Hollandiæ, quem à Sede Apoſtolica, per Orthodoxas Archiepiſcopi Tarſenſis, & ad Tractum Rheni cum facultatibus Legati à latere Nuntii Pontificii manus acceperat octavâ Januarii 1707., id eſt, præcisè duobus diebus antequam Lovanii ſcriberetur famoſa Epiſtola ſignata Z. B. V. E.

D. Adamum Damen noſcere per occaſionem non licuit. Breviter referam, quid de illo certa fama dicat. Dicitur eſſe natione Amſtelodamenſis, poſt varios gradus ad Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis Canonicatum Presbyteralem pro ſuis meritis evectus, & conſtitutus Archiepiſcopi ac Electoris Theſaurarius; vir ſanæ doctrinæ, incorruptis moribus vivens, compendium honeſtatis.

De

De præfati Illuſtriſſimi Domini Nuntii Apoſtolici meritis nihil attinet dicere. Toti ſunt Europæ nota, & vindiciarum noſtrarum ſphæram ſuperant; illaque eſt Janſeniſtarum tenuitas, ut non modò, quæ contra tantæ Eminentiæ Prælatum effutire auſi fuerunt, reſponſa non mereant, verùm etiam creſcat ipſi gloria, & honos augeatur, dum abs talibus impetitur, poſſitque quodammodò eatenùs comparari fulgidæ lunæ, quæ canum latratibus objicitur, quo tempore infrunita animalia contra Solem ipſum impotenter coaxant, id eſt, adversùs Romanum Pontificem, prout in ſecunda memoria videre eſt, raucas & rancidas vociferationes ſuas, quantùm poſſunt, tantùm exerunt.

De D. Theodoro de Cock, quid dicam, quid non dicam? Natione Hollandus eſt, in ſtudio Theologico Romæ educatus in Collegio *de propaganda fide*. Poſteà Lugduni Batavorum miſſioni ordinariæ Præfectus. In moribus & Doctrina tam integer, ut nè Adverſarii quidem aliquid contra hiſcere auſi fuerint, quin imò, dum per obitum Caſtorienſis Epiſcopi Hollandiæ Vicariatus vacabat, ab illis qui ſe Clerum Hollandiæ vocant, fuit in Urbem Romanam deputatus, ut à Summo Pontifice ſuppliciter dignum Succeſſorem peteret. Non fuit miſſus cum prætenſæ Electionis tabulis. Non ficta imaginarii Harlemienſis Capituli jura exhibere juſſus fuit, non novitia Cleri indigenæ placita de facienda Pontifici præſentatione : nondum ſcilicet *Frater Antoninus* Clerum Hollandicum inſtruxerat. D. Theodorus de Cock in Hollandiam rediit cum Inſtitutione Papali in favorem D. Petri Codde natione Amſtelodamenſis, quondam Presbyteri Oratorii, & Lovanii in Pœdagogio Caſtrenſi Philoſophiæ Profeſſoris, tunc in Hollandia Miſſionarii.

Lætus tam cari nuntii bajulus Theodorus de Cock portabatur ipſorum humeris, & voces deficiebant, tempusque deerat, ut pro votis ſuis pangerent viri laudes. Lovanii eram, quando D. Licentiatus Melis, quem honoris causâ nomino, prima nuntia ferebat D. Guilielmo Baſſerii, tunc Sylvæ-Ducenſium Vicario Apoſtolico, poſteà Brugenſium Epiſcopo. Ea tunc videbantur D. Theodori Cock inſignia, ut ſi minor eſſet Deo aliquo, videretur tamen major homine.

Novus Vicarius D. Petrus Codde Bruxellas ducebatur cum pompa, & ſiſtebatur D. Inter-Nuntio Apoſtolico: Cùmque proponeretur ipſi ſignatura Formularii Alexandri VII., cum ſumma demiſſione profitebatur ignorantiam ſuam, eò quòd tum per ſtudia Philoſophica, tum per laborioſa Miſſionum exercitia, non vacaſſet tantam rebus Theologicis operam navaſſe, ut intelligere poſſet illius Formularii ſenſum, & hoc ſolo titulo petebat excuſari. Miniſter Apoſtolicus nihil mali ſuſpicatus, diſſi-

mulandum credidit, & Petrus Codde ſine juramento hujus præſtatione promotionem obtinuit.

Jam verò poſtquam D. Petrus Codde Romæ diſcuſſus atque detectus fuit, D. Theodorus de Cock apud illos omnibus priſtinis moribus excidit. Fuerant, ſcio, Catholici Miſſionarii anno 1695. ſecretò requiſiti, ut ad ſexdecim articulos eis propoſitos ſententiam dicerent, & teſtimonium darent. Neſcio quibus mediis D. Theodorus Vancel è Gallia fugitivus, qui tunc Romæ ſub larvato nomine *Pauli Valoni*, præfati Domini Petri Codde publicus Agens erat, in præfatorum Miſſionariorum reſponſum inciderit. Incidit tamen & legit, atque ubi inter ſubſignantes vidit etiam nomen D. Theodori de Cock, *Reſtai Sbigottito*, dixit, & ad eundem D. Theodorum de Cock cum planctu ſcripſit, id eſt, *reſtabam confuſus*. Fuit D. Theodorus de Cock in deſtituti Domini Petri Codde locum ſuffectus ſub titulo Pro-Vicarii Apoſtolici. Mox in illum inſurrexerunt, verbisque ac ſcriptis anonymis diffamârunt. Hæc enim ipſis regula eſt, quam olim in Galliis D. Conſiliarius Marandæus detexit, & nupera Concluſio finalis per totum, ac præcipuè articulo 776. profeſſa fuit, nimirùm Janſeniſtarum *Dii, quos perdere volunt, dementant, & Janſeniſtæ, quos perdere volunt, diffamant.*

Dictus Marandæus, Regius in Galliis Conſiliarius, in quodam opere ſuo à quadraginta & ampliùs annis, manifeſtavit ſe detexiſſe Regulas quibus Janſeniſtæ, ſub nomine Diſcipulorum Sti. Auguſtini, tamquam inſtitutionibus utebantur. Regula ultima erat : *Enfin ſi par malheur ces preſentes inſtructions tomboient entre les mains des Ennemis, tous les Diſciples les deſavoüeront ou de bouche, ou par écrit, s'il eſt expedient pour le bien de cette union.* Prætenſi Diſcipuli Sti. Auguſtini has Regulas ita publicatas, negaverunt ſuas eſſe. Hoc autem mirum eſt, quòd negare nequeant ſuos agendi modos, quos poſt publicatas iſtas Regulas, ubique locorum tam conſtanter, & uniformiter practicaverunt, ut quas verbis negaverant, factis probaverint. Titulus eſt : *Reglement, & Inſtitutions de Mrs. les Diſciples de St. Auguſtin, & la fin de leur union.* Inter Media quæ ibidem ſcribuntur ſub titulo : *Les moyens de ſe mettre en eſtime*, dicitur articulo quarto, *ils ſe loüeront tous les uns les autres, ils feront profeſſion d'être ſçavans, pour en acquerir la reputation.* Et paulò ante finem, *Inſtruction ſeptiéme comme ils ſe doivent gouverner entre eux*, habetur articulo decimo-tertio, *ſi quelques perſonnes de moindre condition que les Evêques, ſe rendoient contraires à la doctrine, ils tâcheront par douceur de les gagner : s'ils ſe rendent opiniâtres, on fera une exacte recherche de leur vie, & on les menacera de les perdre de biens & d'honneur ; & quand il faudra venir aux effets, ce ſera avec grande*

prudence, & avis de tous les unis. Quantoperè has Regulas concordi ſtudio executioni mandârint, ex hactenùs dictis patet.

Sciebant etiam, quòd prudentiſſimis Hollandiæ Rectoribus nihil carius eſſet civili tranquillitate, juxta illud priſcum ſuum ex ſapiente Salluſtio depromptum, *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ dilabuntur.* Diſcordias excitaverunt, quas conjunctis viribus, & multiplicatis clamoribus conjecerunt in D. Theodorum de Cock, & ille propter quem tempeſtas orta fuerat, velut alter Jonas ab innocuis navis directoribus conjectus eſt in mare. Sed Ninivitæ cauſa fuerant, & hoc iſti Directores bonâ fide ignorabant.

Neſcio quid imprudentiæ cùm infelicitate permixtæ acciderit circa quamdam Epiſtolam, cujus copiam prodidit, qui deſtinandam acceperat. Dicitur acceſſiſſe alia copia ſubſcripta Lovanii per D. Alardum vanden Steen, cujus expedit memoriam extare apud Sedem Apoſtolicam. Cùm etenim ex parte Magni Magiſtratûs exiiſſet mandatum, nè D. Theodorus de Cock ullum demandati ſibi Pro-Vicariatûs exercitium faceret, is hoc accepiſſe videtur pro diſtrictu Hollandico, & in ea fide poſitus, Lovanium mitti permiſerat Dimiſſoriales ad ſacrum Diaconâtus Ordinem à quocumque Antiſtite, communionem & gratiam Sedis Apoſtolicæ habente ſuſcipiendum, pro quodam D. Cromſtreyn Hollando, in Univerſitate Lovanienſi ſtudente. Nuntius Hollandiæ, nomine Georgius, litteras attulerat, quas dictus D. Cromſtreyn quærebat, dum fortuitò adeſſet præfatus D. Alardus vanden Steen, qui petiit videre, quod acceperat, prout hic dicit. Sed D. Cromſtreyn narrat aliter. Refert enim, quòd D. vanden Steen illas litteras è manibus ſuis eripuerit modo improprio, & Dimiſſorialium copiam fecerit ſe diſſentiente, ac tunc tandem Originale reddiderit. Dominus autem vanden Steen aſſerit ſe copiam hanc, illo conſentiente, & Originale confidente, feciſſe, ex curioſitate, ad videndum an illæ Dimiſſoriales fuiſſent expeditæ juxta formam, quâ ipſe olim inſtitutus fuerat; & quòd illam copiam miſerit Amſtelodamum ad D. Gabrielem Prauwels, ex quadam familiaritate. Ita Patri Deſirant die 18. Decembris 1707. veſperi coram teſtibus narravit, in circumſtantiis tam ſinceris, ut P. Deſirant ei reſponderit, ſe referenti credere.

Cùm verò poſteà die 20. veſperi, & die 21. manè, eâdem ſinceritate eidem Patri Deſirant promiſiſſet, nullum ex parte ſua ulterius gravamen inferendum eſſe, & ipſe nihilominus eâdem die, novâ violentiâ D. Henricum Malcorps cum ſuis, contra ſacros Canones, & Monaſticam Immunitatem, contemptis Cenſuris Eccleſiaſticis, ipſo facto incurſis, (de qui

bus habenda ratio ſuo tempore)immiſerit: qui ſpretâ proteſtatione juridicâ Patris Prioris Conventûs Auguſtinianorum, in Patris Deſirant cubiculum involavit, ſatellitem furtivo modo per feneſtram intrare fecit, & portam quamdam vi perrumpi juſſit, viſitavit,& aſportavit ſi quæ voluit; hinc meritò examinandum venit, utrùm curioſitati, ex qua ſola præfatus Alardus dicit, ſe præfatarum Dimiſſorialium copiam ſcripſiſſe, neceſſaria fuerit authenticatio, quam ſe veluti Notarium Apoſtolicum feciſſe agnoſcit? niſi forſan dixerit, ſe tam exactum eſſe, ut non crederet propriæ copiæ, licèt eam ipſe ſcripſiſſet, niſi & authenticaſſet. Prætereà an ſit credibile, quòd illa eadem copia cum Originali, manu D. Alardi vanden ſteen fuiſſet in publico judicio exhibita, ſine illius prævia directione, atque conſenſu? Factum eſt tamen.

Ad §. VIII.

HÆc eſt illa magna memoria ſine titulo ſcripta, quæ tantum ſtrepitum excitavit; & cùm tam ex hac, quàm ex præcedenti conſtet, quinam iſtarum motionum Authores fuerint, hinc D. Henricus Malcorps, qui omnia illa cognoſcens [nam litteras Henrici Graſper legerat, laudaverat, approbaverat, & ſe paratum dixerat illas palam defendere, ipſo Patre Deſirant hanc ejus jactantiam audiente] efficaciſſimè redarguitur, ubi in ſua ad Concordantiam reſponſione non verecundatur iſtarum Hollandicarum turbarum originem attribuere Patri Deſirant. Sed ad hæc infrà reſpondebitur.

Hujus porrò memoriæ partes ſunt variæ. Una erigit Trophæa de debellatis & in exilium pulſis, D. Adriano van Wyck & Jeſuita Vanden Burch; & Domino Adamo Damen crimini vertit, quòd illum van Wyck foveret, & neſcio cui Seminario Embricæ erigendo Præſidem deſtinaſſet, necnon quòd iſte, nimirùm Jeſuita [ſatis dixi] priuſquàm Romam tenderet, non fruſtrà Coloniæ per aliquot ſeptimanas egiſſet. Numquid magna crimina?

Altera pars D. Theodori de Cock procurato exilio non contenta, viri quoque memoriam damnatam vult, ita ut D. Adamus Damen eſſet reus habendus, quòd D. Theodorus Coloniæ ab ipſo ſuſceptus fuiſſet hoſpitio, & quòd ab illo obtinuiſſet reſignationem Canonicatûs & Decanatûs Embricenſis. Numquid magna crimina?

Tertia pars in Jeſuitas invehit, tamquam hujus Vicariæ inſtitutionis Authores, qui Aulam Romanam regant, verba ſunt: *Qui nunc profectò in regimine Aulæ Romanæ maximam partem habent.* Suaderem autem, ut

ſimilia non niſi coram pueris dicerent, & ignaris quiſnam & quantus ſit Chriſti Vicarius, Clemens Undecimus feliciter regnans. Jeſuitæ prætereà in una ex additionibus, ſivè per Muſium, ſivè per alium adjectis, ab hominibus iſtis appellantur *ſtructores diſcordiæ*. Proficiat ipſis. Nam & illis pars aliqua gloriæ fuerit, quòd talia à manifeſtis harum memoriarum conditoribus patiantur. Miror, quòd non adjiciant aliquam ſatyram contra Jeſuitas, in vulgus diſtribuendam. Hæc ſequetur.

Quarta pars in perſonam præfati D. Adami Damen defervescit. Obliti enim quòd ut ſuus D. Petrus Codde ſe à ſignando Formulario Alexandri Septimi expediret, humiliter profeſſus fuerit, ſe Theologum non eſſe; D. Adamum Damen arguunt, quòd non eſſet ſatis magnus Theologus, ut Vicarii munia exerceret, eundemque generatim de his & pluribus ſimilibus perſonalibus incapacitatibus falsò criminantur.

Quinta pars in intemeratum *Papalem Nuntium Colonienſem* inſurgit, qui D. Adamum Damen die octavâ Januarii 1707. Vicarium *deſpoticè* inſtituiſſet, ſilentio prementes, quòd in hac re mandatum Pontificium executus fuerit.

Sexta pars exigua probum & ingenuum Sacerdotem Guilielmum Fox Amſtelodamenſem, Miſſionarium Romano-Catholicum in parvam ſcenam ducit.

Septima pars Aulam Romanam invadit, tamquam *poteſtatem peregrinam*, deſpoticè, id eſt, tyrannicè regentem, ſubjugantem & opprimentem; & in fine atrociſſimè concludit, niſi hæc Vicarii conſtitutio impediatur, quòd *numerus trecentorum millium Romano-Catholicorum* [Corrector addidit, *ponerem quingentorum millium*] *per Aulam Romanam deſpoticè regetur*. Hæc illi de Aula Romana, qui ambiunt Romano-Catholici dici, qui D. Adamo Damen in terminis objiciunt, quòd à Roma *ſerviliter dependebit*, *Aulam iſtam*, *& qui ei faverunt*, *in omnibus protegendo & obediendo*. Atque ita poteſtatem Romanam, appellant peregrinam, obedientiam vocant ſervitutem, authoritatem Eccleſiaſticam dicunt tyrannidem, ſivè deſpoticam, quod eſt idem; eandemque palam nominant, & in illa regione nominant, *ſubjugationem & oppreſſionem*. Hæc Presbyteri, qui in Hollandia prædicant Romanam fidem, quæ, Apoſtolo teſte, ad Rom. 1. *annuntiatur in univerſo mundo*. Tot tantisque opſtupefactus non habeo quod dicam, niſi ut reſpondeant ad illud priſcum, *qui Romanæ Eccleſiæ non participat*, *Catholicus non habeatur*.

Octava pars ſacram Perſonam Pontificis, & Nepotiſmo non ſolùm abrogato, verùm etiam ſanctiſſimè diſpoſito, in moderatiſſimos ejus Nepotes deſævit. En verba: *Et hoc præcisè eo tempore*, *quo partialitas Aulæ Ro-*

mana adversùs Paderbornensem Episcopum Orbi patet, & unicuique notum est, qualiter Papæ Nepotes sint potentissima instrumenta illius partialitatis.

Ut hæc insulsa calumnia clariùs intelligatur, notandum quòd illo tempore vacabat Episcopatus Monasterienſis, ad quem aspirabant Episcopi Paderbornenſis, & Osnabrugenſis. Utriusque electionis merita discutiebantur apud Summum Pontificem, utrâque parte informante. A Paderbornenſi stabant Potentissimi Status Hollandiæ, ab Osnabrugenſi Suprema quædam, eaque Summa Majestas. Jansenistæ ut Sanctitatem Suam Potentissimis Dominis odiosam redderent, inverecundè in hac memoria effutiunt, quòd fabricantibus Papæ Nepotibus, nescio quæ partialitas in urbe contra Paderbornenſem exerceretur. Audax impostura! Ipsæ relationes publicæ in Hollandia impressæ annuntiaverunt veritatem. Utramque scilicet electionem in regulato judicio caslatam, & jus ad Pontificem devolutum fuisse. Sanctitatem verò Suam non Osnabrugenſem, sed Paderbornenſem prætulisse, utrâque parte acquiescente. Cognoscent inde publicæ Potestates maledicentium tum in calumniando temeritatem, tum in fingendo levitatem. Nam & Majestas illa in præfatis relationibus nominata fuit, ipsumque nomen cum suis circumstantiis manifestat nullam hoc in negotio moderatissimos ac prudentissimos Papæ Nepotes partem habuisse. Apparet interim, quòusque Jansenistarum livor ascenderit, ut Nepotismo tam plenè ac constanter abrogato, veriti non fuerint odiosam apud Batavos Nepotismi memoriam facere, qui potiùs, si veri Romano-Catholici essent, debuissent hanc, inter reliquas Sedis Apostolicæ causas, vindicasse.

Nona & ultima pars memoriam totam à capite usque ad calcem decurrit, & manifestat, omnes hasce tragœdias excitari, quia non statuitur Vicarius ad illorum placitum, juxta electionem vel præsentationem, quam facere debuisset prætensum Capitulum Harlemienſe.

Præterquam verò, quòd ad imaginarii hujus Capituli fictum jus abundanter responsum fuerit à Doctioribus, quorum nervosissimis scriptis Adversarii non potuerunt respondere : paucis peto, ubinam, & in quo, & à quonam tempore jus illud emerserit? Capitula Cathedralia in iis Ecclesiis, quarum Episcopatus sunt electivi, jus suffragii habere; ubi verò nominatio Regia obtinet, solam suggestionem dari, limpidissimi juris est. Ubi verò Episcopatus, & ipsa Capitula sunt extincta, jus aliquod ad Vicarii Apostolici præsentationem relictum esse, tam est inauditum, ut solus *Frater Antoninus* novæ hujus imaginariæ prætensionis non tam inventor, quàm instigator fuerit. Fingamus etenim, quòd personati Harlemienses Canonici, quando Clerus Batavus præfatum D. Theodorum de Cock

ad Sedem delegavit Apoſtolicam, aliquem præſentationis Embrionem inter ſeſe concepiſſent; nullam tamen illius rationem habitam fuiſſe per ſe liquet. Niſi fortè quia Romanus Pontifex tunc ſupplicantes exaudivit. Ex hoc autem nihil concludi poteſt, niſi quòd impoſterùm neganda ſint ipſis, quæ petunt, nê poſtquam conceſſa fuerint, concedenda fuiſſe præſumant.

Ad §. IX.

FAſciculi ſecundi die 20. Februarii deſtinati Epiſtola prima data eſt eâdem die ad eundem D. Jacobum Krys, cujus fortitudinem Lovanienſes benè intentionati laudant; *nec mirum, quòd alius ille vir* (de quo ſuprà §. 5.) *ſe in locum iſtorum ſegnium Ducem conſtitutum fuiſſe volebat*, inquit. Mirum quòd non etiam memoret fortia dicti D. Jacobi Krys facta, dum Romæ in Archiepiſcopi Sebaſteni comitatu fuit. Tranſeat, quòd non loquatur de iis, quæ Lovanii geſſit, dum habitavit in Collegio Pontificio. Potuiſſet tamen vel ex libro, cui titulus, *Cauſa Quenelliana*, referre litteras ibidem impreſſas, ab eodem ad varios ex urbe datas. Tales nempè viros in deſperatæ cauſæ Patronos atque Heroes ſtatutos oportuit.

Videtur D. Jacobus per litteras conqueſtus, quòd nullam ad tranſmiſſas memorias aliasque Epiſtolas reſponſoriam accepiſſet. Petrus Nicolaus Tourteau tamquam ex Magnifici Domini Rectoris juſſione interceperat, & hoc illos adhucdum latebat. Recolligat autem D. Henricus Graſper memoriam, & examinet, quibuſnam litterarum, quas præfatâ die 16. Februarii ſcripſit, notitiam dederit; forſan divinabit, quiſnam fuerit, quem Petrus die quartâ Martii acceſſit, dum reliquas ſuas inſtructiones accepit.

Roelarii ingrediuntur, id eſt, *Jeſuitæ*, quorum nomen ſic in Clavi Quenelliana exprimitur, ut veroſimile ſit, quòd Clavis Hollandica, cujus aliqua ficta nomina in tribus hiſce faſciculis recurrunt, nihil circa illud mutaverit.

Quamdam illorum Theſim tranſmittit: *Donet Deus, ut condemnationem ſuam conſequi poſſit*, inquit. Hoc fateor, me non intelligere: nam à quo vel à quibus Theſis iſta optatam condemnationem acciperet? An à Janſeniſtis? At teſte S. Auguſtino, *nihil ſtultius, quàm orare, ut facias, quod in poteſtate habeas.* An à Sede Apoſtolica? Numquid res reducetur ad quæſtionem facti, in cujus deciſione ſuſtinent, falli etiam poſſe Eccleſiam Univerſam? At ſolliciti ſunt de *cæco mundo*. Optima ſcilicet conditio, omnes cœcos dicere, ut in regno cœcorum monoculus ſit Rex.

Bruxellenſis, de quo agitur, eſt famoſus Deſervitor Eccleſiæ D. Catharinæ D. Licentiatus Guilielmus vanden Neſſe, de cujus cauſa videri poteſt in Libro Reſolutionum.

De Formulario fuſiùs agetur infrà in Concordantia.

Ad §. X.

JUxta Epiſtolam ſub §. 1. exhibitam, *amicus benè notus* Jacobo Krys, tamquam potenti rerum moderatori commendaverat, *ut ſi quidquam in ſtatu concludi poſſet, placeret exequi, ut Jeſuitæ in Sylva-Ducis poſſent inde ſuam partem habere.* Plerumque vidimus, quòd dum Janſeniſtæ quempiam palam invadebant, ſatyræ prodierint acerbiſſimæ, ſivè in Relationibus publicis, ſivè in Mercurio Hiſtorico, ſivè in oblongis ſcedulis, quas *Lardones* vocant, ſivè in aliis foliis anonymis elaboratæ, quæ ſpargebantur in vulgus, ut plebs credula clamores excitaret, qui Judicum vel Superiorum aures pulſarent.

Hæ ſatyræ erant anonymæ, nec erat facilè Authores detegere: & innocens interim inultus crudeliſſimè diffamabatur.

Si Janſeniſtis objiciebatur, quòd ad illas concurriſſent; non reſpondebatur niſi has impoſturas, atque calumnias eſſe, à notis innocentiſſimorum & integerrimorum virorum animis alieniſſimas. Tantam calumniandi licentiam conſecuti fuerunt, ſub ſpecioſo pallio Chriſtianæ ſimplicitatis.

Quid quòd & inſulſos clamores populi per ipſorum ſatyras excitatos impenderint ad probandam ſiniſtram famam, contra Adverſarios ſuos ſerpentem; & ubi aliquæ timoratæ conſcientiæ fraudibus non aſſuetæ, illos ipſos conſulebant, an iſtis ſatyris vel tuta fides adhiberetur, illævè illæsâ charitate legi ac diſtribui poſſent; cum ſuſpiriis atque ſingultibus reſpondebant, triſtiſſimam eſſe horum temporum ſortem, quòd invaderentur ab Adverſariis tam criminoſis, ut neſcio quis ordo amoris exigeret, tanta eorum ſcelera detegi, nè quamdiu in authoritate manerent, viris in innocentiſſimorum & integerrimorum hominum catalogo poſitis exitio forent. Iſtisque principiis armati uno ore nihil magis clamabant, quàm charitatem prædominantem; factis autem nihil magis oſtendebant, quàm prædominandi amorem. Et in veſtimentis ovium obſidebant aures nocere valentium, quibus de ſe mutuò tam validam intorſerant Chriſtianæ ſimplicitatis idæam, ut vix poſſet illis in mentem cadere, tam ſanctas animas, quæ veluti invitæ, ſuas de Adverſariis querelas adferebant, calumniarum capaces, multò minùs authrices ſcommatum, quorum exemplaria-

plaria exhibebant, tamquam è manibus puſillorum, ex neſcio qua pietate, erepta. Machiavellus Tyro eſt, & inter diſcipulos collocandus; ipſique Arriani, veri calumniarum architecti his artibus vincerentur.

Non poterunt autem hâc vice negare, ſe hujus ſatyræ, cui titulum dederunt, *Kyriacus Confutiſtæ*, Authores eſſe. Tota eſt ſcripta manu Henrici Graſper, tam idiomate gallico, quàm latino. Mittitur ad potentem Dominum Jacobum Krys, illum ſcilicet Heroëm, quem Platearius, id eſt Licentiatus Opſtraet, ſalutat *mille vicibus pro una*; cujus Epiſtola lætitiam collocaverat *in genis ejus*, ita ut non aliud clamaret, quàm *Dominus ſit laudatus, Dominus ſit laudatus, manus Domini eſt nobiſcum; poſt quod me requirebat, quatenùs vellem ſcribere, ut omnes Domini tandem vellent in eadem fortitudine perſeverare.* Inquit Epiſtola ſub §. 9. Atque hæc ſatyra mittitur quaſi in adjutorium. Egregium ſcilicet adjutorium in nomine Domini! ubinam ſumus?

Altera autem ſatyræ copia mittitur in Epiſtola ſub §. 11. Tanta ſcilicet in iſtis circumſtantiis occurrebat diffamandi neceſſitas, ut una copia non ſufficeret. Fuiſſetque illa in Hollandia publicata, tamquam vox populi Belgici, & inde in Belgium remittenda tamquam clamor Hollandici.

Satyra verò in ſe eſt atrociſſima, digna Authoribus ſuis. De Confutio garriunt, ignorantes ſtatum quæſtionis. Licèt enim & ego ritum abolendum cenſeam, qui æquivocus ſit, & thurificationes, aliasque ceremonias contineat, quæ ſoli Deo rectè exhibentur; attamen ex ſuppoſito quòd Chinenſes ipſi proteſtentur, quòd per hæc omnia nullatenùs intendant aliquid in Confutio Divinitatis agnoſcere, ſed meram memoriam celebrare Viri, à quo Gens Indica moralis Philoſophiæ principia acceperet; tametſi aliquod in illo cultu vitium eſſet, non poſſunt tamen Jeſuitæ ideò Idololatriæ rei eſſe, quos verum Latriæ cultum ſoli Deo exhibere, aliundè notiſſimum eſt.

Jactata verò Adverſariorum ſimplicitas, in celebrandis novis Diis tam fœcunda videtur, ut novos Europæos quaſi Jeſuiticos in hac ſatyra erigant, aurum ſcilicet atque argentum, qui ſit Confutius Europæus, quem *nigra coruſcantem prenſat acerva Deum.*

Erat nempè hæc ſatyra opportuna, ut in præſentibus circumſtantiis perſuaderetur, Jeſuitas Confutium illum non modò colere, ſed & aſportare ex Regionibus, undè non licet. Edicant autem nobis, quonam modo acciderit, ut Jeſuitæ, qui toties & tam diu de hac aſportatione extiterant diffamati, numquam fuerint convicti? In aliis Regionibus, ut aſſerta illorum avaritia detegeretur, producuntur variæ lites, quæ ipſis motæ fue-

runt; ipsi verò ostenda[illegible], quòd coram illis etiam Tribunalibus, quæ eis non plus justo favissent, plures vicerint, quàm perdiderint, & quòd illarum, quas perdiderint quantitas sit tam exigua, ut numeretur digitis.

Jesuitæ nihil ad me. Nihil ab ipsis accepi, nihil exspecto: nec omnia quæ in Scholis suis, etiam cum aliis docent, teneo, nec omnia respuo, quædam impugno, nullamque hæresim invenio.

Cùm verò, qui eos maximè impugnant, & avaritiæ, novique Contutissmi accusant, in ceteris omnibus fallant & fallantur, nihil apud me ponderis istæ criminationes habent.

Jesuitæ, inquiunt, conantur acquirere: Ostendant, quòd malis artibus. Nituntur retinere: Doceant, quòd injustè. Dolent amittere: Probent, quòd malitiosè. Tria hæc, acquirere, retinere, non dimittere, sunt omni conditioni humanæ tam communia, ut luteas manus habeant, qui hæc non faciunt. Quin imò, prout in Camera, quæ Imperialis dicitur, Sapientissimus aliquis Elector Bavariæ in splendidissima Monachiensi Aula inscribi fecit, *Regna ecquid sunt aliud, quàm tria suspiria, acquirendi, retinendi, dimittendi?*

Dicant nobis, obsecro, Jansenistæ, & qui Jesuitas tam acriter in hoc articulo exagitant, de se loquantur; casum adferant, quòd vel noluerint acquirere, cùm justè possent, vel contempserint retinere, dum per jura liceret, vel non doluerint dimittere, cùm non deberent.

Hæc autem non Jesuitarum tantùm, sed omnium omninò Religionum, quæ bona possident, sors est, ut qui Monasticam Professionem amplexi sunt, sic reputentur excessisse ex sæculo, quasi nihil ampliùs ad illos pertinere debeat, quasi vivere possent ùt mortui, quasi dare, & non accipere, quasi soli omnibus carere & indigere, ut reliqui abundent. Non eximuntur à tributis publicis. Nihil eis præstatur gratis. Victus & amictus negatur, nisi pretio coëmptus. Nulla lis definitur, nihil obsequii præstatur, nisi auri & argenti pondere repensanre. Spiritualia præstant gratis, & invidetur, quòd temporalia comparent, quibus necessaria redimant.

At verò depauperantur familiæ, inquiunt. Id est, familiis deberet integrum esse superfluos liberos gratis in Monasteria trudere, & denaturato affectu, quos vident vivere, mortuos reputare, atque quia elegerunt optimam partem, jure, quod eis natura concesserat, orbare. Ingrati Nepotes, & consanguinei durissimi, qui fratrem vel sororem, patrem vel amitam toto vitæ tempore persecuti fuerint, hoc merebuntur, ut ubi ipsæ donationes toto titulo Codicis de revocandis donationibus, causâ ingratitudinis revocantur, nihilominus omnia defunctorum bona tam plenè

ad illos devolvenda essent, ut nè agnatos quidem suos, in Religionibus collocatos, non Domos Dei, non Patrimonia Crucifixi augere liceret, partim in redemptionem peccatorum, quæ non tenentur unicuique manifestare, partim in satisfactionem illarum rerum, quas nesciunt, quibus deberent restituere, partim in remunerationem beneficiorum, quæ accepissent.

Qui talia objiciunt, sacros Canones, & leges perscrutentur, & mirentur libertatem, quam Christianis Justinianus Imperator regulariter L. *Si qua mulier.* Cod. *de sacrosanctis Ecclesiis* sine querela fecit, SE SUAQUE *Monasteriis tradendi.* Non quòd diffitear, ubi Monasteria sufficienter fundata fuerint, avaritiæ vitium, & subinde Simoniæ labem intercedere posse, nisi omnia gratis præstentur. Sed & plurimas hodiè Fundationes, quæ olim floruerunt, bellorum injuriâ, in angustias redactas esse, quis ignoret? Ubi verò Fundationes non extant, nimis equidem stolidum est, velle justas acquisitiones invidere, dum non exceditur Carolina, quæ Religiosas Professiones satis superque limitavit. Desinant ergò talia objicere, aut se paratos monstrent, omnia gratis exhibere. Avaritia obtenditur in acquirentibus, ego injustitiam in impedientibus. Excessum redarguunt, sed non ostendunt. Superfluitatem & abundantiam clamant, ubi leges habent, quæ omnia sic rescindunt, ut non deessent exactores, si prævaricatores offenderentur.

Hæc breviter ad insulsam satyram, novos in Europa Deos, fictitio cultu adornantem. Quibus equidem, si vellemus paria reddere, nec penna nobis, nec materia deficeret. Cùm verò nostrum non putemus de alio Deo loqui vel cogitare, quàm de illo vivo & vero, per quem omnia verè & benè vivunt; hinc fictitiorum illorum Deorum sculptilia Adversariis in arte fingendi affatim detectis relinquimus. Eant ergò, & cùm tam fœcundi sint in procreandis Diis Europæis, aras erigant, quotquot potuerint, novorumque Numinum statuas super columnas collocent in Templo Pudoris, & ipsorum tholis binas suprascriptas memorias appendant, satyras adjiciant, & pro trophæorum suorum Insigniis jungant Catalogos eorum, qui vel sedibus suis pulsi, vel in exilium acti fuerunt, & in Capitellis scribant Dictum suum: *Dii, quos perdere volunt, dementant*, sed & in basibus sculpant hoc Lemma: *Jansenistæ, quos perdere volunt, diffamant*; meminerintque se ista fecisse in Templo Pudoris.

Ad §. XI.

HÆc Epiſtola ſcripta eſt ad Heroëm alterum D. Joannem de Graef, de quo Epiſtola anonyma ſub paragrapho 5. dicit: *Si mea dictio aliquid valeret, excluderem aliquos, & te fratremque tuum, & Dominum de Graef inter alios eorum loco ponerem.*

C'eſt le Dieu des eaux, qui va paroître. Ad illum enim ſcribitur, veluti ad Neptunum Batavicum. En encomia, quæ huic Archithalaſſo communi bonorum Amicorum Lovanienſium ſuffragio tribuuntur. *Boni Amici hîc ſunt ſummoperè lætificati, quòd tu juxta alios in hac nova inſurgente tempeſtate proram non ſinas extorqueri manibus, ſed naviges per altum mare, ita ut prodeat ſpuma, in quam, ſpero, omnes fluctus rursùm convertentur.*

Numquam Admirales Tromp & Ruyter hoc potuerunt, ut omnes maris undas in ſpumam converterent. Hæc gloria Domino *Joanni de Graef* reſervabatur. O ludibrium ſimplicitatis Chriſtianæ! Quidnam eſt, obſecro, Chriſti Eccleſiam ex profeſſo turbare, & inconſutilem ejus tunicam ſcindere, ſi hoc non eſt? Omnia extrema tentare, fluctus fluctibus committere, & ſpumam quærere, ut navis Petri mergatur, id eſt, ut Sedis Apoſtolicæ Authoritas peſſumdetur!

Pergit in eadem figura: *Omnia negotia ſtant hîc adhuc* (nimirùm Lovanii) *in eodem æſtu. Cum adventu Deputatorum exſpectatur mutatio, & ſperatur, quòd omnia accipient novam faciem.*

Ecce ergò etiam Mare Belgicum commovebitur, fluctus ſpumabunt, ſequentur mutationes, nova fient omnia.

Expende, Lector, quinam fuerint immolandi, & utrùm leges ac mores Patriæ conſervatos voluerint, qui ad haſce mutationes aſpirabant.

Deputatos audenter nominant, cùm tamen non ſit credibile, quòd de rebus iſtis quidquam ſciverint. Prudentiſſimi Deputati de ſolis polyticis ſolliciti ſunt: non cogitant bellum Religionis. Hoc Janſeniſtarum eſt, non ipſorum.

In fine dicitur: *Dominus Melis te ſalutat iterùm per meam pennam.*

Jubeamur, obſecro, credere, quòd D. Melis nihil de hac Epiſtola ſciverit: *Meus eſt Ephraïm, meus eſt Manaſſes.*

Etiam ad Heroëm mittitur *Kyriacus Confutiſtæ.* De hac ſatyra egimus abundè.

Ut autem inſuper non tantùm Lector videat, quibuſnam artificiis diffamare conſueverint, verùm etiam cognoſcat, quòd ex hac illorum laxiſſima conſuetudine conſtet, quàm parùm, aut nihil ampliùs æſti manda

sit fama, quam excitant, & consequenter, quòd lex de prosequendis ex fama, hodiè sit collocanda inter abrogatas; juvabit appositum Doctissimi Brunnemanni textum adducere, ubi agit de calumniatoribus qui se appellant *viros honestos, des honnêtes gens.*

Joh. Brunnemannus ad l. in testimoniis ff. de Testibus, n. 14. *Nonnulla etiam per famam probantur, si ea à viris honestis orta : quamvis hodiè in tanta libertate (licentiâ volui dicere) hæc non sit adeo prægnans indicium, vel probationis genus. Non possum, quin apponam de fama judicium magni Jurisconsulti Domini Joh. Ott. Thaboris in Tract. de tort. ad art. 25. Const. Carol. §. 16. respondebo, inquit, hoc ampliùs, aliquando* VIROS HONESTOS *videri, & non esse; sed variis vitiis intùs & in cute scatere, & obnoxios esse. Quotusquisque enim mortalium, licèt in dignitate constitutus, non illis succumbit vitiis, ut obtrectationes libenter audiat, nova undequaque conquirat, invidiâ aut æmulatione corripiatur? Videas etiam* ERUDITOS ALIQUANDO VIROS, MAXIMÈ, QUI CONSCIENTIAM NON USQUE ADEÒ ADSTRICTAM HABENT, ET SATYRICIS INGENIIS PRÆDITI SUNT, *non tantùm oblectari detractionibus, susurris, sarcasmis, cavillationibus; sed easdem etiam voce & calamo malignè disseminare,* ATQUE IN EO CAMPO QUAM LIBENTISSIMÈ VIRES INGENII ET ELOQUENTIÆ SUÆ EXPERIRI. *Quot convivia, quot sympolia numerabis instituta, ex quibus proximus absens,* AC SÆPIÙS INNOCENS, *materiam fabulæ ac lætitiæ non præbuerit? Hîc prima quæstio est, quid novi? respondet alter, nihil admodum: aiunt tamen hunc commisisse stuprum, illum adulterium, illum furem, hunc veneficum esse. Undè enim homini, obsecro, tanta eruditio? quomodò tam facilè, tam miraculosè emergeret, qui infimæ conditionis erat, nisi malis dæmoniorum, sivè ùt Eruditi vocant, spirituum familiarium artibus uteretur? Hæc à* VIRIS, IN SPECIEM GRAVIBUS ET HONESTIS, *sine circumspectione enunciata circumstantes pueri, ancillæ, famuli, excipiunt & passim vulgant.* ECCE TIBI FAMAM AB HONESTIS VIRIS ORTAM. *Hæc D. Thabor. Cetera, quæ de fama dicuntur passim alibi reperies in Farin. Carpsov. Frekero & aliis.*

Ad §. XII.

HÆc Epistola nihil specialis continet. Ideoque non mirum, quòd signata sit *H. Grasper*, nomine expresso ad longum.

Ad §. XIII.

HEnricus Graſper in hoc ſecundo litterarum ſuarum faſciculo mittit Theſes Theologicas Patris Franciſci de Meezmaker Societatis Jeſu, ſacræ Theologiæ Profeſſoris, & prout ſuprà ad §. 9. vidimus, de illis ſcripſit: *Donet Deus, ut condemnationem ſuam poſſit conſequi; hoc erit bonum opus, ad eos rursùm de novo convincendos malæ doctrinæ, quâ alios incruſtant, & ad aperiendos oculos cæco mundo.*

Ex præfatis verbis diſcimus, quòd ſi Summus Pontifex hanc Theſim, vel prout alius dicebat, ſi Molinam damnaret, non eſſet apud Janſeniſtas fallibilis in facto doctrinali.

Ad §. XIV.

FAſciculus tertius inſcriptus fuit ad perſonam indifferentem D. Nicolaum van Goor, cujus Epiſtola ſignatur *H. Graſper*, Lovanii, 23. Febr. 1707.

Ad §. XV.

HÆc Epiſtola ad D. Jacobum Krys, eſt anonyma. Ex hac diſcimus, quòd D. Jacobus Krys impatiens, quòd cùm duobus ultimis Curſoribus nihil reſponſi accepiſſet ad Epiſtolam, quam miſerat cum duabus memoriis, & tribus aliis introcluſis diverſorum Epiſtolis, ſcripſerit ad D. Cinc Philoſophiæ Profeſſorem in Pœdagogio Porcenſi.

Statim Henricus Graſper ſuſpectos habuit *Roelarios*, id eſt, *Jeſuitas*. Sic enim appellabantur in Clavi Quenelliana. *Indubiè ceciderunt in manus Roelariorum*, inquit. Benè habet, quòd Petrus Nicolaus Tourteau detectus fuerit; alioqui Jeſuitæ *indubiè* hanc fabam comediſſent. Indubiè etiam prodiiſſet novus Kyriacus Confutiſtæ.

Ad §. XVI.

HÆc Epiſtola ſcribitur ad D. Hieronymum de Bock, cui parabatur locus in Collegio D. Licentiati Melis. Erat Lovanii perquàm neceſſarius: præſertim ut eſſet unus ex ſeptem ſtudentibus, qui ſignaverunt libellum ſupplicem (in ſupremo Brabantiæ Concilio diſcuſſum atque rejectum) adversùs ſacram Facultatem Theologicam L- -nienſem, pro

abrogatione Formularii Alexandri VII., ad mentem Clementis XI. feliciter regnantis.

Epiſtolam hanc legenti patet, quòd dictus Hieronymus de Bock non parùm D. Licentiato Melis obſtrictus ſit *propter rationes phyſicas.* Si libellum hunc ſignaverit, hoc ſuo Præſide inſcio, vel diſſentiente, væ capiti ejus! Non enim D. Præſes vult contemni. Nè minas patitur quidem. Geſtit etiam haberi tam indifferens, ut non dubitet aſſumere illud, *Meus eſt Ephraïm, meus eſt Manaſſes.* Proindeque Hieronymus de Bock procul dubio vel *Ephraïm*, vel *Manaſſes* erit.

CAPUT OCTAVUM.

DE CONCORDANTIA

Inter Epiſtolas ſignatas Z. B. V. E. Librumq; Reſolutionum in Menſe Januarii 1707. *allatum ex una, & recognitas* Henrici Graſper *litteras poſteà datas diebus* 16. 20. & 23. *Februarii ejuſdem anni, ex altera partibus.*

ADverſarii duo objecerunt, primum, quòd afficta ſit ipſis conſpiratio, ſecundum, quòd viri innocentiſſimi atque integerrimi per varia tum ficta, tum vera inſtrumenta fuerint malâ fide expoſiti periculo exitii. Repoſita fuit illis Concordantia inter litteras, quas dicunt fuiſſe confictas ſub nomine Doctoris *van Eſpen*, & inter poſteriores, quas agnoſcunt verè ſcriptas eſſe abs ſuo *Henrico Graſper.* Hinc planè conſequebatur, conſpirationem non fuiſſe fictam, ſed factam, & meritò detectam: Cùmque nihilominus conſtet, quòd propter illam nihil hactenùs fuerint perpeſſi, vanum eſſe periculum exitii, quod innocentiſſimi atque integerrimi conſpiratores allegabant. Demonſtratum eſt illis ſæpiùs, quòd pro vindicandis opinionibus ſuis conſueverint omnia facere, & facta negare. Teſtis Nomenclatura, quam ſuæ Sectæ dederunt, vocantes eam *Phantaſma Janſeniſmi*, ipſiſſimis temporibus, quibus pro eodem Janſeniſmo tutando, diſſeminandoque, cuncta ſus-deque vertebant: adeoque mirum non eſſe, quòd præſentem conſpirationem ſic inſtituerint, ut, quo tempore illam exequerentur, varias circumſtantias ſubornarent, quarum beneficio omnia conficta dicerent; atque hoc pacto Adverſariis ſuis dupliciter nocerent, faciendo ſcilicet, & de fictionibus accuſando. Adversùs hanc Concordantiam repoſuerunt deploratiſſimam Appendicem, no-

mine Athleræ ſui D. *Henrici Malcorps* editam, cujus ea eſt tenuitas, obſcuritas, & implicantia, ut non tam reſpondiſſe, quàm ſe magis magisque illaqueaſſe videantur. Quæ ut clariùs eluceſcant, placet Concordantiam ipſam cum Appendice de verbo ad verbum exhibere, & Catholicâ reflexione diſpungere. Primo loco ponemus verba Concordantiæ; ſecundo loco reſponſionem dicti Henrici Malcorps, non tamquam aliquod officium gerentis, ſed veluti Authoris, qui ſignavit præſentem Appendicem impreſſam; tertio denique loco, verba Reflexionis Catholicæ.

CONCORDANTIA

Epiſtolarum Domini H. Graſper *die* 16. 20. & 23. *Februarii datarum, & ab Authore agnitarum, cum Libro Reſolutionum, & duabus Epiſtolis ſignatis Z. B. V. E. datis* 10. & 13. *Januarii.*

RESPONSIO D. HENRICI MALCORPS cum ſuis.

Appendix ad Caput quintum.

SÆpenumero ſe jactavit Reus apud Amicos, & bonam ſuam fidem probare nititur ex Coucordantia litterarum Domini Graſper de 16. 20. & 23. Februarii 1707. cum Libro Reſolutionum, & duabus Epiſtolis ſignatis Z. B. V. E. 10. & 13. Januarii 1707. Quam Concordantiam illum in finem exhibet Reus ſub numero primo cum ſuo reſponſo ulteriori.

Verùm tantùm abeſt, ut per hanc, quam nequiter finxit Concordantiam, Reus bonam fidem ſuam vel in minimo aſtruat, ut contrà, peſſima ejus fides & inſignis vafrities non uno ex capite inde evincatur: ut Actor hoc ad ſingulos Concordantiæ articulos reſponſo, oſtendet.

REFLEXIO CATHOLICA.

NOn negant eſſe veras Henrici Graſper litteras *ab Authore agnitas*, quæ diebus 16. 20. & 23. Februarii 1707. datæ fuerunt Non negant etiam, has litteras eſſe ſuas, illarumque proinde contenta pertinere ad ipſos. An inter has, & anteriores, in menſe Januario allatas, non exiſtat vera Concordantia, Lector Catholice judicabis, & nos inſulſos terminos, *nequiter finxit*, *peſſima ejus fides*, & *inſignis vafrities*, relinquemus hominibus, qui ſimilibus verbis, & factis delectantur.

CON-

CONCORDANTIA I.

Si litteræ Domini Graſper *ſcriptæ fuiſſent, antequam aſſertus Liber Reſolutionum cum Epiſtolis ſignatis Z. B. V. E. pervenisſent ad manus; poſſet ſuſpicio verti, quòd liber hic cum Epiſtolis fuiſset formatus ex præfatarum* Domini Graſper *litterarum cognitione. Jam verò cùm omnes ſint in confeſſo, quòd dictæ Domini* Graſper *litteræ datæ ſint uno menſe, poſtquam liber ille cum annexis fuit detectus; ſubmittitur æqui rerum æſtimatoris judicio, quid ex hac Concordantia concludi debeat.*

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. I.

CUm conſtet in litteris Domini Graſper nihil prorsùs tractari eorum, quæ tractantur in Libro Reſolutionum cum annexis; aliud ex Concordantia à Reo exhibita concludi non poteſt, quàm Reum eſſe in arte fingendi magiſtrum omnibus numeris abſolutum, qui ſciat Concordantiam ibi fingere, ubi certum eſt, Concordantiam non eſſe.

REFLEXIO CATHOLICA.

NOn negant rationem temporis eſſe peremptoriam, ad convincendam illorum conſpirationem, contra Eccleſiaſticos Catholicos diverſi Ordinis, ipſamque Sedem Apoſtolicam, dummodò vera Concordantia extet. Terminos, *in arte fingendi magiſtrum omnibus numeris abſolutum*, relinquemus hominibus aſſuetis omnia facere, & omnia negare, atque Concordantiam ulteriùs demonſtrabimus.

CONCORDANTIA II.

De ſuperſcriptionibus Epiſtolarum.

Primæ litteræ ſignatæ Z B. V. E. cum Libro Reſolutionum, inſcriptionem habent ad D. Jacobum Krys. *Et ſimiliter tres poſteriores Domini* Graſper *litteræ inſcriptæ ſunt ad D.* Jacobum Krys.

RESPONSIO D. H. MALCORPS. ad §. II.

De inſcriptionibus Epiſtolarum.

NUlla litterarum Concordantia colligi poteſt ex eo, quòd inſcribantur ad eundem : cùm ad eundem inſcribi poſſint litteræ diverſiſſimæ, ut erant litteræ, de quibus hîc, ſed ideo Concordantiam inde colligit Reus, quòd qualecunque peſſimæ ſuæ fidei præſidium quæreret.

REFLEXIO CATHOLICA.

NOn quia ambæ, prout agnoſcunt, ad eundem inſcriptæ fuerunt; ſed quia litteræ, quas Petrus in menſe Januario 1707. attulerat, inſcriptæ fuerunt præciſè eidem, cui Henricus Graſper ſuas inſcripſit poſteà in menſe Februario, de iiſdem materiis, per eundem, ſingulo amico, communicandis, ideo hæc relatio permagnam Concordantiæ vim tribuit. Quomodò enim Petrus potuiſſet in menſe Januario finxiſſe litteras, ad Jacobum Krys directas, ad quem Henricus Graſper in menſe Februario de iiſdem materiis veris, verè ſcripturus erat ? niſi Adverſarii fingant, quòd Petrus divinator fuerit. Terminos, *peſſimæ ſuæ fidei*, Authoribus ſuis remittimus.

CONCORDANTIA III.

De paritate materiæ.

Tam ultimæ, quàm primæ tractant de iiſdem negotiis; cum hac ſola differentia, quòd Liber Reſolutionum exprimat fuſiùs ea, quæ contractiùs in poſterioribus litteris continentur: Et ratio eſt naturalis, quia ex ſuppoſitione Libri Reſolutionum, ea quæ ſcribebantur poſteà, paucioribus terminis exprimi poterant, & intelligi.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. III.

De paritate materiæ.

DE iiſdem negotiis non tractant utræque litteræ, ſed tractare eas fingit Reus, eo artificio, ut quæ in litteris Domini Graſper dicuntur de negotiis Cleri Hollandici, ea ipſe negotiis ſuis fictitiis accommodet; quod ſibi non difficile

fore præviderat Reus, ſi modò litteras aliquas in Hollandiam, vel ex Hollandia ſcriptas interciperet.

Nam imprimis non poterat ignorare Reus, qui partes magnas in turbis illis excitandis habuiſſe fertur, graves in Eccleſia Romano-Catholica exortas eſſe diſſenſiones, & turbas, occaſione ſuſpenſionis Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi Sebaſteni, & ſurrogationis in locum ejus, primò, D. Theodori Cockii, deinde, D. Adami Damen.

REFLEXIO CATHOLICA.

SI Henrici Graſper litteræ de ſolis negotiis Cleri Hollandiæ agerent, Sedis Apoſtolicæ Adverſarii hîc aliquid dicerent: nunc verò cùm ſciant, illic de negotiis agi communibus omninò omnibus, fateri debent, quòd P. Deſirant non finxerit, ſed quòd D. Henricus Malcorps cum ſuis agnitam veritatem impugnaverint.

Nullam Patrem Deſirant in excitandis turbis illis Hollandicis habuiſſe partem, per ſe patet: quia nec accuſavit, nec denuntiavit, nec tanquam teſtis, vel conſultor adhibitus fuit, aut ulli in hoc negotio conſilium vel auxilium dedit. Doctorem verò van Eſpen fuiſſe primarium illarum turbarum Architectum, probavit *Cauſa Queſnelliana*, ex originali ejuſdem Doctoris Epiſtola de 3. Martii 1703. impreſsâ pag. 151. ubi ſcribit ad Amaſium ſuum Paſchaſium Queſnellum, in hæc verba: *Sapientiſſime Domine, afflictiſſimum miſſionis Hollandicæ ſtatum & litterarum Domini Silvii*, [ſic juxta Clavem ibid. pag. 336. appellabatur Apoſtolicus Inter-Nuntius Bussi] *contentum intellexeram ex litteris Amicorum. Iisque reſpondi ex Amicorum conſilio*, FORTITER INSISTENDUM JURIBUS CAPITULORUM, *oſtendendumque, Pontifici fuiſſe ſubreptum. Juribus Capituli Harlemienſis* [*credo quòd idem jus competat Capitulo Ultrajectino, ſed ſuper eo hactenùs conſultus non ſum*] *firmandis miſi ſcriptum, cujus hîc copiam jungo. Rogo ut illud examinare dignetur, & ſi quid addendum aut demendum judicaverit, dignetur ſignificare Domino Swanio.* Plura ejuſdem Doctoris van Eſpen ſub larvato nomine, *Frater Antoninus*, juxta Clavem prædictam, ibidem videri poſſunt. Judica, Lector Catholice, uter duorum, turbarum in Hollandia contra tot & tantas Sedis Apoſtolicæ Sanctiones, per aliquos è Clero excitatarum, Author ſit, an Doctor Catholicus P. Deſirant, qui adhæret Pontifici, an Doctor van Eſpen, qui fatetur, ſe talia *Amicis ex Amicorum conſilio* reſpondiſſe, & excitaſſe ad *fortiter reſiſtendum, oſtendendumque, Pontifici fuiſſe ſubreptum, necnon compoſuiſſe Scriptum*, quod examinandum miſit ad Paſchaſium Queſnellum. Judicabis etiam, Lector Catholice, an ſcribendi forma, quâ Doctor *van Eſpen* hîc utitur, non con-

veniat per omnia cum forma Graſperiana, etiam *Amicorum conſilio* exaratâ, quibus quantùm conſonent litteræ per Petrum Tourteau in Januario 1707. allatæ, magis magisque patebit. Judica, denique, an D. H. Malcorps in hoc articulo bonâ fide recenſeat ordinem ſurrogationis, *primò, D. Theodori Cockii, deinde, D. Adami Damen.* Cur enimverò omiſſus eſt, qui inter hos duos medius fuit D. *Potkam*? Scilicet hic vir hic erat, qui non tam agebat, quàm agebatur ſecundùm *conſilia Amicorum.*

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

NEque ignorabat Reus, diſſenſiones illas præcipuè verſari inter Primarios è Clero Hollandico ab una, & Jeſuitas aliosque Religioſos Sacerdotes & nonnullos è Clero Jeſuitis adhærentes ab altera parte; illis jurium & privilegiorum ſuorum defenſionem prætexentibus, his cœcam erga Pontificis juſſa exigentibus obedientiam.

REFLEXIO CATHOLICA.

NEmo minùs id ignorabat, quàm Doctor van Eſpen, prout ſatim oſtenſum eſt.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

DUbitare igitur non poterat Reus, quin illi è Clero ad communem Eccleſiæ ſuæ cauſam tuendam conſilia conferrent, & ea ſibi mutuò communicarent, eademque etiam peterent ab iis ſuis Amicis, quibus negotiorum & turbarum iſtarum ſtatum cognitum eſſe ſciebant, & denique, quin ſe mutuò ad jurium ſuorum ſtrenuè proſequendam defenſionem adhortarentur.

REFLEXIO CATHOLICA.

ATqui hæc non potuerunt fieri ſine *Congregationibus*, & conferentiis, ſivè collationibus: iisque frequentibus: agnoſcunt ergò, quas tam perfrictè negaverant Congregationes, tum in Hollandia, tum in Brabantia, *ubi conſilia conferrent, & ea ſibi mutuò communicarent*, celebratas.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

NOverat pariter Reus, plures è Clero Hollandico hîc Lovanii commorari, qui proinde notos ſuos & Amicos, utì fieri conſuevit, non modò per litteras informabant de negotiis Academicis aliisque affinibus, ſed qui pariter inſtrui cupiebant, & certiores reddi de ſtatu, in quo verſarentur res Eccleſiæ Hollandicæ, utì & de circumſtantiis notabilioribus, quæ indies eâ occaſione occurrerent.

REFLEXIO CATHOLICA.

DIdicerat iſta P. Deſirant ex litteris per Petrum Tourteau allatis, & confirmatus eſt in opinione, quòd hæ litteræ veræ eſſent, quando vidit indubitatas Henrici Graſperi litteras, Amicorum nomine ſcriptas, in quibus eadem, prout Adverſarii in verbis, *de negotiis Academicis aliisque affinibus*, ſatis explicitè agnoſcunt, continentur. Non didicerat tamen extare Lovanii Henricum Graſper, cujus nomen nè audiverat quidem ante 16. Februarii, & qui dicitur tunc recentiſſimè adveniſſe Amſtelodamo.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

ATque his omnibus inſtructus Reus, non dubitabat, quin ſi poſſet litteras Hollandorum aliquas intercipere, eas totas ſingulari ſuo fingendi artificio in ſuam cauſam converſurus eſſet.

REFLEXIO CATHOLICA.

ITa ſcilicet, nullo adducto fundamento, fingit Dominus Henricus Malcorps.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

SPeraverat Reus, ſcopum ſuum attingere, ſi poteſtas ipſi facta fuiſſet, Adverſariorum ſuorum cubicula & ſcrinia viſitandi: verùm poſtquàm ſpe illâ exciderat (præcipuè ex quo Ampliſſimus Dominus van Suſteren undecimâ Februarii in præſentia Rei, adſtante Domino Daemen, judicaverat Epiſtolas & inſtrumenta eſſe ficta, utì notatum eſt ſuprà cap. tertio, articulo 338.) aliud medium Reus excogitavit.

REFLEXIO CATHOLICA.

QUidnam, obſecro, eſt divinare, ſi hoc non eſt? Potentiſſimum enim, atque ineluctabile argumentum, quo probabatur priores litteras fictas non fuiſſe, deſumptum fuit ex earum Concordantia cum litteris Graſper die 16. Februarii allatis; nihil ergò ad rem præſentem facit, an, & quid Ampliſſimus Dominus van Suſteren die undecimâ ejuſdem menſis judicaſſet, antequam dictæ Graſperianæ litteræ detegerentur. Econtrà Divinæ potiùs Providentiæ adſcribendum eſt, quòd quibuſdam circa priorum litterarum ſinceritatem, ſubortis dubiis, illæ præcisè Henrici Graſper litteræ detectæ fuerint, in quibus eadem veritas ſine dubio continebatur.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

CUm probè ſciret, ùt ſuprà Actor advertit, diſſenſiones in Eccleſia Hollandica occaſione novi Vicarii Apoſtolici *Daemen* eò recens ablegati, quàm maximè flagrare, nec proinde dubitaret, quin illâ occaſione ultrò citròque variæ litteræ mitterentur, atque inſuper notas haberet primarias illas perſonas è Clero Hollandico, ad quas Lovanienſes ex eodem Clero, vel alii ipſis noti, litteras ſuas plerumque dirigerent, induxit, ac miſit Petrum Nicolaum Tourteau, ut, quaſcumque poſſet, litteras è domo Curſoris Regii ſurriperet, ac ad ſe deferret, quæ ad nominatas illas perſonas forent inſcriptæ.

REFLEXIO CATHOLICA.

DIcat autem divinator, quomodò præcisè acciderit, ut nemo ſcripſerit, nulliusque litteræ per Petrum interceptæ fuerint, niſi præcisè ignoti Graſper ad eundem Krys, de iiſdem materiis, eodem modo: & explicet, qualiter per vires humanas potuiſſet accidere, ut Petrus illas litteras non tantùm in menſe Februario interciperet, verùm etiam anteà ſimillimas in menſe Januario finxiſſet?

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

SPerabat etenim Reus, facilè in litteris illis occurſurum aliquid, vel de mediis, quibus Clerus ſibi invito obtruſum Vicarium amoliretur, vel etiam de aliis ejuſmodi negotiis, quæ hîc Lovanii aut Bruxellis agerentur, quibus qualemcumque ex litteris illis intercipiendis Concordantiam cum Libro Reſolutionum conflando, pro ſua nequitia abuti poſſet ad fucum faciendum, tum imperitioribus, tum contra prætenſos conſpiratores præventis.

REFLEXIO CATHOLICA.

EContrà ſi P. Deſirant ſciviſſet, aut rationabiliter ſuſpicari potuiſſet, Librum Reſolutionum, qui jam ſcriptus erat, fuiſſe confictum; nullam prorsùs potuiſſet ſpem concipere, ut advenirent aliæ litteræ veræ, per quas nota fictio confirmaretur.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

ET ſanè mirum non eſt, NONNULLA ATTINGI in litteris Domini Graſper, de quibus mentio pariter fit in confictis his litteris, & Libro Reſolutionum: quandoquidem impoſſibile foret, ut prædictus Dominus Graſper, vel quivis alius potuiſſet DE NOVIS ACADEMICIS ALIISQUE AFFINIBUS quidquam indicare, quin (vellet nollet) incideret in PUNCTA QUÆ-

DAM, de quibus in prædictis confictis litteris, & confecto Libro Resolutionum agitur, quandoquidem in illis omnia omninò attingantur quocumque modo ad res Academicas spectantia, vel ad causas aliorum, *puta Pastoris Stæ. Catharinæ*, *Quesnelli*, *Gerberonii*, *Patrum Augustinianorum*, *du Cellier*, *&c.*

REFLEXIO CATHOLICA.

NOvisti, Lector Catholice, eam Jansenistarum firmitatem esse, ut si quid concesserint, quod anteà negaverant, victos & pervictos fuisse non dubium sit. Eam verò ipsis esse, in dicendo inconstantiam, ut sibi ipsis leviſſimè contradicant, centenariâ experientiâ didicimus. Hæc nempè sors est hominum, qui veritatem, quæ sola sibi constat, sola sibi non contradicit, nesciunt. Suprà ad §. I. generatim dixerant: *in litteris Domini Grasper* NIHIL PRORSÙS *tractari eorum, quæ tractantur in Libro Resolutionum cum annexis.* Jam verò in verbis confitentur: *nonnulla attingi in litteris Domini Grasper, de quibus mentio pariter fit in confictis his litteris, & Libro Resolutionum.* Victi ergò sunt, quòd falsum dixerint, *nihil prorsùs tractari*, & sunt confessi, *nonnulla attingi.* Conabimur eò ducere, ut cogantur fateri omnia. Quid enim tales pudeat factorum suorum? Quid timeant, qui possunt omnia, per se suosque? Excusant tamen Henricum Grasper, quòd *nonnulla attigerit; quandoquidem impossibile foret, de Academicis scribere, quin in dictas materias incidatur.* Videant autem, qui hæc dicunt, an sit etiam impossibile, de istis rebus sic scribere, prout scriptum fuit, nimirùm approbando communi nomine, & *de consilio communi*, necnon sese mutuò animando, ut causas illas, tamquam communes, exequantur, prout tam in anterioribus per Petrum allatis, quàm in hisce posterioribus Henrici Grasper litteris exprimitur.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

DE quibus tamen quatuor postremis negotiis, utì & multis aliis, nè verbum quidem in litteris Domini Grasper occurrit.

REFLEXIO CATHOLICA.

EX materiis facilè viginti excipiunt quatuor. Quantùm hoc est! Sed neque hoc dandum puto. Causa enim Quenelli fuit quidem proposita in Libro Resolutionum, qui terminatur 2. Januarii, sed ab eventu patuit, quòd non fuerit acceptata; hinc non est mirum, quòd Henricus Grasper de illa nîl scripserit post diem 16. Februarii, quâ incipit. Idem est de Causis Gerberonis, & du Cellier, quæ fuerunt leviter & breviter

tentatæ, ſed mox deſertæ. De Cauſa verò Auguſtinianorum ſatis dictum eſt in Ep. de 7. Febr. *Maer ſonderlyck moet op den Auguſtyner Monick gecanonneert worden.* Id eſt, *at præcipuè in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt.* Prætereà non omnes litteræ Henrici Graſper ſunt detectæ; nec detectæ fuerunt aliæ, quas tum ipſe, tum Amici receperunt. Legatur Epiſtola prima die 16. Febr. ad Jacobum Krys data; plures ibidem litteras citat, ad quas ſe refert, quas non potuimus vidiſſe.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

VEl ex his ſolis colliget Magnificentia Veſtra, quàm nequiter prætenſam iſtam ſuam Concordantiam adornaverit Reus, & quàm malè ex illa bonam ſuam fidem adſtruere fuerit conatus.

REFLEXIO CATHOLICA.

INſulſa vox *nequiter*, & hujuſmodi, non debet turbare Doctorem Catholicum, dum conſiderat à quali & quarè evibretur.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

PLura è contrario occurrunt in litteris prædicti Graſper, quæ ipſum Reum omninò convincere poterant & debebant, litteras illas de 10. & 13. Januarii, utì & Librum Reſolutionum eſſe merè ficta inſtrumenta, niſi ipſe Reus illius fictionis Complex & Author fuiſſet.

REFLEXIO CATHOLICA.

CUm nihil ex iſtis pluribus occurrrerit uſque in præſentem diem, fruſtrà fingitur, plura occurriſſe in principio.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

PRimò enim nulla in Epiſtolis illis ſigna occurrunt quibus nomina Amicorum deinceps exprimenda eſſe, Liber Reſolutionum indicat.

REFLEXIO CATHOLICA.

SI verum erat id, quod Petrus retulerat, nimirùm Amicos ante finem Januarii ſciviſſe Librum Reſolutionum eſſe perditum, nulla erat apparentia, ut Henricus Graſper die 16. Febr. uteretur ſignis in illo Libro notatis.

PRO-

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

SEcundò, nulla etiam nomina ficta, qualia Liber Resolutionum exhibet, cùm Dominos Hennebel, Melis, Opstraet, & Cinc suis nominibus exprimant.

REFLEXIO CATHOLICA.

JAm diximus, Librum Resolutionum ante finem Januarii fuisse detectum, non fuerat autem detectus Liber Resolutionum Hollandicarum, & ideo non mirandum, quòd Henricus Grasper die 16. Februarii in Hollandiam scribens, non fuerit usus nominibus fictis, in Libro Brabantiæ designatis. Alii verò in Hollandia constituti perstiterunt in suis nominibus fictis, prout infrà ostendetur Concordantiâ decimânonâ, ad quam idem D. Henricus Malcorps turpi contradictione dans victas manus, respondit in verbis : *Fictis nominibus uti in Epistolis, omnibus familiare est.* Præclara pietas! Dum eis ex documentis certissimis objicimus, quòd sint usi nominibus fictis, excandescunt, negant, & pernegant, & ad injurias conversi, dicteriis nos & scommatibus onerant. Dum verò illis documenta proferimus, quibus convincimus, ad excusandas excusationes in peccatis, dicunt: *Fictis nominibus uti in Epistolis, omnibus familiare est.* Si hoc est omnibus tam familiare, cur ergò irascimini, quòd illud vobis objiciatur ?

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

TErtiò, de multis mentio fit in litteris Domini Grasper., nominatim de iis, qui habitant in Hollandia, qui non sunt noti in Libro Resolutionum.

REFLEXIO CATHOLICA.

DE his agitur infrà, Concordantiâ 21. cui titulus *excedentia, & excessa.* Nec ideo Concordantia minor est, cùm utraque scripta in eo conveniant, quòd *communes Amicos* utriusque Cleri, Hollandici nimirùm, & Brabantici, communi vinculo, contra Sedis Apostolicæ Decreta, contesseratos annuntient, eodem ordine, iisdem ex causis, iisdemque consiliis, licèt litteræ anteriores, aliqua Amicorum nomina exprimant, quæ non inveniuntur in posterioribus, & vice versâ, licèt *de multis mentio fiat in litteris Domini Grasper, nominatim de iis, qui habitant in Hollandia, qui nec sunt noti in Libro Resolutionum.* Profectò Concordantia, quam

in quatuor Evangeliis Orbis admiratur; non definit Concordantia esse, licèt varia reperiantur in Luca, quæ non existunt in Marco, & multa in Joanne, quæ non in Matthæo.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

IMò nec illi ipsi qui reperiuntur in Libro Resolutionum, nominibus iisdem indigitantur, nam Dominus Opstraet hîc vocatur Platearius, Dominus Pastor Sanctæ Catharinæ vocatur hîc Bruxellensis.

REFLEXIO CATHOLICA.

DOminus Henricus Grasper, dum hoc fecit, veniâ dignus fuit, recenter enim advenerat, poteratque audivisse, Brabanticum Librum Resolutionum incidisse in manus, ideoque Hollandus Hollandis prudenter scripsit juxta Phrases Hollandorum.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

QUartò, nulla in illis mentio de celebratis, aut celebrandis Congregationibus, vel de Resolutionibus in iis captis, cùm tamen hæc, si vera fuissent contenta Libri Resolutionum, omissurus non fuisset Amicis indicare Dominus Grasper, utpotè, sicut Reus affirmat, stabilitus ut à Domino Krys acciperet litteras Amicis exhibendas.

REFLEXIO CATHOLICA.

FEcit illa eminenter, dum de iisdem materiis, communi Amicorum nomine transcripsit consilia communia, quæ sine Congregationibus & Resolutionibus capi nequeunt, & ab Amicis Hollandiæ recepit varias litteras, pariter communi nomine & consilio datas, & se illas ostendisse Amicis significavit, & Amicorum gaudia & exhortationes mutuas communicavit. Hæc tot & tanta in litteris, septem dierum spatio datis. Cogitet Lector Catholicus, quid in aliis nondum detectis?

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

HInc rursùs aliud evidens habebat Reus argumentum fictionis Libri Resolutionum: quia si reverà, ùt Reus asserit, Dominus Grasper fuisset stabilitus ad illum finem, ipsius saltem nomen inter nomina Amicorum, utì & ipsius nominis signum, in Libro Resolutionum fuerat exprimendum, neque ille contenta dicti Libri & nomina Amicorum permissus fuisset ignorare, adeoque nec idem Dominus Grasper omisisset ficta illa Amicorum nomina in litteris suis exprimere.

REFLEXIO CATHOLICA.

HInc rursùs evincitur, quòd per ficta argumenta conentur prætensam Libri fictionem adstruere. Non enim possunt ignorare, quòd Liber ille hæreat in Congregatione diei secundæ Januarii 1707. & quòd Henricus Grasper Lovanii recenter appulerat, quo die, nescio Certè Epistola signata Z.B.V.E. sub diè 13. Januarii 1707. dicit in terminis, *has copias jussi scribi per aliquem ex maximis meis Amicis, cui ita fido uti mihi ipsi.* Quarè meritò creditum fuit, quòd Doctor van Espen hujus ignoti advenæ operâ, & manu usus fuisset. Imprudentissimè autem Henricus Grasper die 16. Februarii impendisset nomina ficta expressa in Libro, quem tunc scire poterat, detectum fuisse in fine Januarii.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. III.

QUintò, in Libro Resolutionum constanter commissio ad scribendum Amicis, & nominatim Domino Jacobo Krys, datur Clarissimo Domino van Espen, qui in eodem Libro sæpiùs litteras à Domino Krys accepisse fingitur, & tamen, ùt Reus affirmat, Dominus Grasper stabilitus fuit, ut à Domino Krys acciperet litteras.

REFLEXIO CATHOLICA.

DOctor van Espen ita stabilitus fuit usque ad 2. Januarii, prout vidimus. Nihil miri, si post Libri Resolutionum detectionem, supervenientis D. Henrici Grasper operâ usus fuerit, & hoc tam cautè, ut licèt nominentur illic alii, nusquam tamen recurrat nomen Doctoris van Espen, tametsi præcipuum negotium respiciat recalcitrationem Cleri Hollandiæ, cujus Authorem fuisse præfatum Doctorem, suprà ex propria ejus Epistolâ, sub ficto nomine, *Frater Antoninus*, ad Paschasium Quesnellum data, suprà monstravimus ad §. III.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad § III.

SOla supradictorum consideratio, quemcumque alium, quàm Reum, convicisset, dictum Librum confictum esse. Verùm scopus ipsius Rei erat, ut quocumque demum modo, & quibuscumque mediis huic suo fictitio partui, Libro inquam Resolutionum, aliisque confictis litteris, fidem conciliaret, ut genuinæ crederentur.

REFLEXIO CATHOLICA.

JUdicet Lector, an ſola debilitas ratiuncularum, quas Adverſarii contra argumenta tam ſolida adduxerunt, illos non convincat, quòd grandia mala in litteris Henrici Graſper contenta, conveniant cum iis, quæ in anterioribus, quas Petrus attulerat, reperiuntur.

CONCORDANTIA IV.

De Exhortationibus Domini Krys ad unanimiter pugnandum, ad dejiciendos Adverſarios.

Liber Reſolutionum in Congregatione de 7. Octobris 1706. *dicit*: Convenerunt Amici. & prælegit eis aliquis nomine Clariſſimi Domini van Eſpen gratas litteras ex Hollandia à R. D. Krys, quibus indicatur, ſi unanimiter pugnemus contra noſtros hoſtes, nos certò futuros dominatores. Et reſolutum eſt, reſpondendum eſſe, nos ſemper pugnaturos acriter cum hoſtibus noſtris, & nos bella eſſe indicturos eorum fautoribus.

D. Graſper in Epiſtola de 20. *Februarii* 1707. *ad D. Jacobum Krys ſcribit*: Benè intentionati fortitudinem laudant tuam; nec mirum, quòd vir ille te in ignavorum locum, Ducem conſtitutum voluit. *Et infrà*: Platearius ſalutat te unâ pro mille vicibus. Epiſtola illa lætitiam adducebat genis ejus, neque faciebat eum clamare aliud, quàm benedictus Dominus, benedictus Dominus, manus Domini nobiſcum. Poſt quod rogabat me, ut vellem ſcribere, ut omnes Domini in eadem fortitudine perſeverare velint.

Idem D. Graſper rem hanc novum bellum *vocat, & mavult Lovanii eſſe, quàm in patria, prout patet ex illius Epiſtola die* 20. *Februarii ad Nicolaum van Goor datâ, ſub paragrapho* 12. *ubi ſcribit*: O me felicem! quòd me cunctis illis tentationibus ſubduxi, & hîc in pace vivo. Bellum novum me in hoc portu firmiùs tenebit.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. IV.

De Exhortationibus Domini *Krys* ad unanimiter pugnandum ad ejiciendos Adverſarios.

MAnifeſtum erat, litteras Domini Graſper agere de negotio Eccleſiæ Hollandicæ, adeoque nonniſi malâ fide hîc Concordantiam fingit Reus inter Exhortationes Domini Krys confictas in Libro Reſolutionum, & Exhortationes Domini Graſper.

REFLEXIO CATHOLICA.

MAnifeſtum erat, & manebit, quòd habeatur hîc Exhortatio reciproca, ad certandum, ſivè ex Amicorum conſilio fortiter inſiſtendum, prout Doctor van Eſpen, dum *Frater Antoninus* erat, die 3. Martii 1703. ſcribebat. Neque nominatus *Platearius*, ſivè Licentiatus Opſtraet, hoc negotium conſiderabat tamquam merè Hollandicum, ſed commune, *manus Domini nobiſcum*, inquiebat. Iſtius porrò Epiſtolæ à Domino Krys ad D. Henricum Graſper contextum ignoramus : plura indubiè in iis continentur, quæ Libro Reſolutionum conſonant.

CONCORDANTIA V.

De modo ſcribendi ad unum per eundem communi nomine, tamquam pro cauſa communi.

Ex Libro Reſolutionum ſatis oſtenſum eſt, & maximè ex Congregatione de 7. Octobris 1706. *quòd Jacobus Krys Amſtelodamo Lovanium ſcribat communi nomine.*

Quod ipſum confirmatur ex Epiſtola de 13. *Januarii* 1707. *ad D. Krys data, in qua communi nomine annuntiatur* magna concordia noſtrorum omnium *Et paulò ante finem :* Commendo, ut felicitatis noſtræ ſatagas apud Dominos Status Hollandiæ.

Simili prorsùs modo tres litteræ in Hollandia ſcriptæ à diverſis unà cum duabus minutis memorialium, primò miſſæ fuerant ad Dominum Krys : poſteà verò D. Krys miſit hæc om-

nia Lovanium ad Dominum Graſper , qui cuncta communicavit Amicis Lovanienſibus , & cum ipſorum approbatione & exhortatione ad pergendum remiſit , & nomine Amicorum ſcripſit ad eundem Krys , prout patet ex toto faſciculo primo , de die 16. *Februarii.*

Dominus Graſper per primam Epiſtolam ad Dominum Krys die 16. *datam exorditur à querela , quòd litteræ à Domino Krys miſſæ , ut communicarentur Amicis , non eſſent expeditæ in forma decora & Amicis digna. Verba ſunt :* Pudebat me tui causâ illam Epiſtolam bonis Amicis exhibere. Rogo imposterùm , ut honoris tui majorem æſtimationem habeas.

Ex quo datur colligere , quòd Dominus Graſper fuerit ſtabilitus , ut à Domino Krys reciperet litteras Amicis exhibendas.

Ex iiſdem Domini Graſper litteris patet , quòd à Domino Krys receperat alias de 15. *Januarii , in verbis :* Ad Epiſtolam de 15. Januarii , fuſiùs tibi reſpondi 6. hujus per Amicum, & tranſmiſi deſiderata.

D Graſper in eadem Epiſtola ad Dominum Krys ſcribit : Venio ad gratam veſtram de 14. Januarii.

Et infrà nomine omnium exhortationem generalem facit ad omnes , in verbis : D. Opſtract ..... rogat vos omnes ſimul , quemadmodum etiam benè intentionati , ut equidem tam generosè , quàm incœptum eſt , procedatur.

Rursùs D. Graſper communi nomine de remiſſis Epiſtolis & memorialibus ad Dominum Krys die 20. *Februarii , ſcribit communi nomine :* Benè intentionati laudant fortitudinem tuam.

Et idem infrà loquitur communi nomine : Non poſſumus ſatis lætari , quòd aliquorum flaccidorum fratrum naſo tam acre capiſtrum à Superioritate impoſitum fuerit. Profectò id confirmat omne præcedens , & indubiè Roëlariis , *id eſt* , Jeſuitis , non parvum metum injiciet , & nobis ſpem magnam dabit , quòd omnia aliquando bonum finem habitura ſint.

Idem Graſper ſimilia repetit in variis litteris , ſemper ſcribens

communi nomine, quemadmodum ex textibus infrà producendis patebit uberiùs.

Non poſſit autem intelligi, quòd de tot & tantis communi nomine ſcribat, niſi ii, quorum nomine ſcribit, alicubi, & aliquando conveniant. Ecce Congregationes, quæ per unum ſua ſenſa ſcribunt ad eundem.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. V.

De modo ſcribendi ad unum per eundem communi nomine, tamquam pro cauſa communi.

TAntùm abeſt, ut hîc Concordantiam invenire potuerit Reus, ut, ſi bonæ fidei fuiſſet, non potuiſſet non videre diſcordantiam; nam in Libro Reſolutionum ſtabilitur D. van Eſpen, per quem communi nomine ſcribatur ad Dominum Krys, utí & ad ipſum viciſſim à Domino Krys ſcribitur: hic autem contra Librum Reſolutionum colligit Reus, *quòd*, ùt ipſe hic ait, *Dominus Graſſer fuerit ſtabilitus, ut à Domino Krys reciperet litteras Amicis exhibendas.*

REFLEXIO CATHOLICA.

JUdica, obſecro te, Lector Catholice, quidnam ſit convictum eſſe, ſi hoc non eſt. Non audent negare ullum textum. Et ad tam ſolida nihil inveniunt, niſi frivolum illud, quòd juxta Librum Reſolutionum in 2. Januarii hærentem, ipſe Doctor van Eſpen ad ſcribendum deputatus fuerit. Quaſi verò id repugnet cum ſubſecutis, ubi poſt dicti Libri detectionem, mutatis conſiliis, Amici juxta Epiſtolam ſuprà citatam de 13. Januarii, ſignatam Z. B. V. E. judicaverunt impoſterùm utendum eſſe operâ Henrici Graſper adventitii. Numquid ergò Henricus Graſper ſcripſit, quæ ſcripſit? Numquid, quæ communi nomine ſcripta receperat, communibus Amicis communicavit, & tursùs communi nomine, communia conſilia communibus Amicis tranſmiſit? Ad hoc reſpondendum fuerat, ſi quæ reſponſio ſolida inveniri poterat.

CONCORDANTIA VI.

De novo Formulario.

Famoſa Epiſtola de die 10. *Ianuarii* 1707. *mittit Formulare*: *& alia Epiſtola ad eundem Krys de* 13. *Ianuarii, dicit* : Significo etiam, quòd occupatus ſum cum novo Formulario ſignando ab Amicis noſtris, quod tantam in ſe vim habet, quàm illud, cujus copiam mitto.

Et infrà : Quamprimùm ultimum Formulare ſignatum fuerit, copiam tranſmittam.

Epiſtola verò Domini Graſper ad eundem D. Krys de 20. *Februarii dicit* : De Formulario eſt adhuc quietum, aſt ſperamus nos in hoc tam generosè gerere, quàm vos in alio geſſiſtis.

Manifeſtè hîc ſupponuntur duo Formularia, nam loquitur de uno & alio.

Non poſſit id intelligi de Formulario Alexandri VII. Nam illud non eſt unum & aliud. Et quamquam de illo id intelligeretur, attamen velle huic Lovanii reſiſtere, criminoſum eſt.

Præterea, hæc Epiſtola loquitur de alio Formulario, in vim cujus debeat aliquid ab ipſis fieri, ſperamus nos in hoc tam generosè gerere.

Denique cauſa Formularii Alexandri VII. eſt publica, & praxis ejus jam eſt regulata juxta Conſtitutionem Clementis XI. feliciter regnantis; Formulare autem, de quo D. Graſper, is nog ſtil, *id eſt, die* 20. *Februarii* adhuc erat ſecretum, ſeu quietum.

Nec poſſit dici, quòd voluerit ſignificare, quòd intendebant negare, quòd Formulare de 10. *Ianuarii eſſet ſuum; nam jam illa negatio publicata fuerat occaſione copiæ, quam D. Opſtraet dederat circa diem* 23. *Ianuarii; at verò Formulare, de quo agebat D. Graſper, adhuc erat* quietum, ſeu ſecretum,

tum, *quia fortè ſecretò ſignabatur, vel jam inde ſignatum erat.*

Repeti debet, quòd D. Graſper agat de Formulario uno & altero. Deberet ergò oſtendere, quòd Amici ſui in Hollandia ſeſe generosè geſſerint in aliquo ſimili altero Formulario.

Senſus autem eſſet naturaliſſimus, attentis circumſtantiis, ſi intelligeretur de Formulariis menſium Iunii & Ianuarii.

Nec obſtat, quòd Formularii contentum videatur atrox, reſponderi enim poteſt, quòd Formularii contentum, ſivè executio per ipſos attentata ſatis demonſtretur infrà Concordantiâ 12. 13. & 14.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

De novo Formulario.

HIc iterùm diſcordantia Reo debebat eſſe manifeſta, cùm ignorare non poſſet, in litteris D. Graſper tantùm agi de Formulario Alexandri VII. & nequaquam de Formulariis menſium Junii 1706. & Januarii 1707.

REFLEXIO CATHOLICA.

SI nequidem rationes, quas Adverſarii conglobatim in hac reſponſione accumulant, ſatis momenti habeant, ut diſcordantiam faciant dubiam, quidnam, obſecro, conqueruntur, eam ab initio Patri Deſirant non fuiſſe manifeſtam, ubi in litteris Graſper de Alexandro VII. inveniebatur nè verbum quidem? Fictio nova eſt, eaque intolerabilis. Henrici Graſper litteras omnes exhibuimus: ſingulæ percurrantur. Non tantùm *Alexandri VII.* nomen abeſt, ſed nè ſyllaba quidem extat, undè illud erui poſſit. Et nihilominus perſiſtunt, *in litteris D. Graſper tantùm agi de Formulario Alexandri VII.*

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

SEd ſcopo Rei conveniebat invenire aliqua, quibus, quocumque demùm modo, publico perſuaderet, Adverſarios ſuos ſubſcripſiſſe, vel ſaltem conſenſiſſe ſubſcriptioni bini illius horrendi & execrandi Formularii de menſe Junio 1706. & de 10. Januarii 1707. Itaque hoc ex litteris Domini Graſper veriſimile reddere nititur ex verbis Epiſtolæ de 20. Februarii, in qua ſcribit: *Van't formulier iſt noch ſtil, doch wy hopen ons hier in ſoo kloeck te draegen,*

als V. E. ſich in t'ander gequeten hebt. Manifeſtè, inquit Reus, hîc ſupponuntur duo Formularia, nam loquitur de uno & alio.

REFLEXIO CATHOLICA.

NIſi enimverò id ſit manifeſtum, neſcio tandem quid in rebus manifeſtum eſſe, vel dici poſſit. Manifeſtum enim eſt, quòd loquatur *van't formulier*, id eſt, *de Formulario*. Manifeſtum eſt etiam, quòd ſtatim ſubjungat particulam *hier in*, id eſt, *in hoc*. Eſt pariter manifeſtum quòd poſteà dicat, *in t'ander*, id eſt, *in alio*, vel *in altero*. Eſt denique manifeſtum, quòd res eadem dici nequeat *unum* & *aliud*, ſivè *unum* & *alterum*. Cùm ergò manifeſtum ſit, quòd hîc agatur de *Formulario*; hinc manifeſtè ſequitur quòd non agatur de Formulario eodem. Atqui confitentur, & res eſt evidens, quòd particula, *hier in*, id eſt, *in hoc*, referatur ad nomen quod immediatè præceſſit, neque aliud præceſſit quàm illud, *van't formulier*, id eſt, *de Formulario*; ergò cùm etiam vox adjectiva *ander*, juncta articulo *t'*, relativa ſit, manifeſtè ſubintelligi debet nomen ſubſtantivum, in dicta propoſitione expreſſum. Nam & ipſa particula *in t'ander*, id eſt, *in alio*, etiam relativa eſt ad particulam quæ præceſſit, *hier in*, id eſt, *in hoc*, idque per rationem oppoſitionis, ùt Logici loquuntur. Nihil porrò eſt æſtimandum, quòd Henricus Malcorps ad frangendam invidiam, utrumque, de quo agitur, Formularium vocet *horrendum & execrandum*. Oſtenſum eſt affatim, nihil in Formulariis iſtis, nimirùm de 16. Junii 1706. & de 10. Januarii 1707. contineri, quin ad amuſſim in praxim duxerint. Si ergò non trepidaverint *horrenda & execranda* illa practicare, non debet mirum videri, quòd auſi fuiſſent ſubſcribere. Qui quod *horrendum & execrandum* vocat, facit, poteſt *horrendum & execrandum* dicere, atque ſubſcribere.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

MAnifeſtè hîc Reus imponit.

REFLEXIO CATHOLICA.

HOc non eſt ſolvere, ſed calumniari.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

CUm evidens ſit ex præcitatis verbis Domini Graſper, illum de unico tantùm Formulario agere.

REFLEXIO CATHOLICA.

PRæcitata verba ſunt, *hier in*, id eſt, *in hoc*, nec non *in t'ander*, id eſt, *in alio*. Erit quidem vobis facile dictu, quòd *unum* & *aliud*, ſint *idem*, poteritisque id perſuadere illis, quibus nigras nives venditaſtis, frigidos ignes, & ſiccas aquas. At verò res nunc coram toto mundo agitur, qui non tam ſplendidè amat decipi.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

SI *de uno & alio egiſſet*, ſivè *de duobus*, non poterat ſimpliciter dicere, *van't formulier iſt noch ſtil*, id eſt, *de Formulario adhuc eſt quietum*, ſed dicere debuiſſet, *van t' eerſte formulier iſt noch ſtil, oft van t'weede, oft van ons formulier*, id eſt, *de primo Formulario adhuc eſt quietum, vel de ſecundo, aut de noſtro Formulario.*

REFLEXIO CATHOLICA.

ATqui hoc dixit pluſquàm æquivalenter. Egit enim de *alio* quod erat præteritum, circa quod illi ad quos ſcribebat, generosè ſe geſſerant, *als V. E. ſich in t'ander gequeten hebt*, id eſt, *quàm vos in alio geſſeritis*; & egit de Formulario præſenti, cujus virtute Lovanienſes Amici aliquid facturi erant in futuro, *wy hopen ons hier in ſoo cloeck te draegen*, id eſt, *nos ſperamus, nos in hoc tam fortiter gerere.* Atqui ubi exprimitur unum præteritum, & unum futurum, illic manifeſtè deſignatur primum & ſecundum. Ecce ergò, quod quærebatur.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

DEinde, tametſi ſupponeretur Dominus Graſper egiſſe de duobus Formulariis; nè tunc quidem, niſi peſſimâ fide Reus inferre potuiſſet, Dominum Graſper egiſſe de confictis Formulariis menſium Junii 1706. & Januarii 1707.

REFLEXIO CATHOLICA.

NIſi in corde veſtro ſciretis, hæc Formularia conficta non eſſe, deſtituti argumentis non recurreretis ad ſcommata, & ſine ullo fundamento objiceretis *peſſimam fidem*. Neque Concordantia illationem fecit, quam more veſtro fingitis in verbis, *inferre potuiſſet*. Sed Concordantia expendit varias circumſtantias, Petri relationem conſideravit,

acta & actitata conſpirantium contulit, ſenſus peregrinos rejecit, ac ſolidiſſimè dixit: *Senſus autem eſſet naturaliſſimus, attentis circumſtantiis, ſi intelligatur de Formulariis menſium Junii* 1706. *& Januarii* 1707. Aliud per hæc verba dicere Pater Deſirant non voluit, quàm quòd culpandus non eſſet; quia Petro hunc ſenſum adferenti, in illis circumſtantiis fidem non denegaſſet.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

ETenim Reus ignorare non poterat, Primarios è Clero Hollandico fortiter reſtitiſſe invectioni Formularii Alexandri VII. in Eccleſiam Hollandicam, illamque invectionem ab ipſis Statibus Hollandiæ fuiſſe vetitam: imò ſcire poterat Reus, plures è Clero Hollandico cum litteris dimiſſoriis defuncti Vicarii Apoſtolici Potkam ad ſuſcipiendos ſacros Ordines Coloniam miſſos, maluiſſe, non ſuſceptis Ordinibus, reverti, quàm ad eoſdem, mediante juramento Formularii Alexandri VII., promoveri.

Noverat inſuper Reus, antiquum Formularium à Facultate ſua Theologica fuiſſe immutatum, quòdque plures Theologi Clero Hollandico adſcripti, aliique à ſuſcipiendis Gradibus in Theologia fuerint deterriti.

REFLEXIO CATHOLICA.

ECce quot & quantis implicantiis falſas hiſtorias, & hiulcas interpretationes incruſtent, ut rem obſcuram magis obfuſcent, tantùm abeſt, ut faciant manifeſtam. Ex omnibus iſtis nihil facit ad rem. Si namque Henricus Graſper utrobique egiſſet de Formulario Alexandri VII. non potuiſſet ſcribere *als V. E. ſich in t'ander gequeten hebt*, id eſt, *quàm vos in alio geſſeritis*; ſed manifeſtè debuiſſet ſcripſiſſe, *als V. E. ſich in het ſelve gequeten hebt*, id eſt, *quàm vos in eodem geſſeritis*. Scripſit autem *in t'ander*, id eſt *in alio*. Quid manifeſtius?

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

EX his itaque ſenſum naturalem & obvium verborum Domini Graſper colligere poterat Reus, etiam dato, quòd in utraque periodi ſuæ parte de Formulario egerit: ſenſus namque tum hic eſſe poterat obvius & naturalis: *De Formulario hîc etiamnum tranquillum eſt: interim ſperamus, nos in eo non recipiendo ſeu jurando tam generoſos fore, quàm vos fueritis in illo recuſando, quod vobis obtrudebatur.*

REFLEXIO CATHOLICA.

ECce ùt ſudent Adverſarii, quo aliquem apparentem bonum ſenſum exſculpant. Supponunt nunc, quòd Henricus Graſper egiſſet de For-

mulario eodem, nempè Alexandri VII. ad mentem Clementis XI. Atqui dictus Graſper non ſcripſit de eodem, ſivè non poſuit verba, *quàm vos fueritis in illo*; ſed expreſſit *in alio*, ſivè *in altero*. Nulla ergò hæc eſt interpretatio.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

VErùm ùt Actor ſuprà advertit, de unico tantùm Formulario agere cenſendus eſt præcitato Epiſtolæ ſuæ loco Dominus Graſper, qui ibidem non laudat fortitudinem, quam Dominus Krys & alii oſtendiſſent in aliquo ſimili Formulario *altero*, ùt hîc contendit Reus; ſed in *alio negotio*, adeo ut ſub verbo *'t ander*, verbum, *werck*, id eſt, *negotium*, intelligi debeat, prout ex aliis ejuſdem Epiſtolæ locis, utì & ex litteris in Hollandia ſcriptis, & eidem faſciculo incluſis manifeſtum eſt; ſcilicet in verbis Domini Graſper laudari Dominum Jacobum Krys, aliosque à fortitudine, quam oſtenderant in negotio non admiſſionis novi-Vicarii Damen.

REFLEXIO CATHOLICA.

SUi ipſius vorax monſtrum, ſenſum adducit contrarium, juxta quem inter Formularium, de quo agitur tamquam de re præſenti, & inter vocem *alio*, ſivè *altero*, admittitur diſtinctio, ſed ſubintelligendo, *negotio*: quaſi actum voluiſſet de *non admiſſione novi Vicarii Damen*. Jubemur itaque eidem propoſitioni plures ſenſus litterales dare, & quidem ſibi repugnantes. Jubemur ſubintelligere vocem *negotio*, impiiſſimo nempè, quod rebellionem continet erga Sedem Apoſtolicam, quod ipſi quidem laudant, & D. Henricus Malcorps approbat, omnes autem Catholici damnant cum Romano Pontifice, qui hujus negotii Authores meritò tradidit Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat. Non poſſe autem Henricum Graſper de *hoc negotio* hîc intelligi, per ſe patet: nam hoc negotium in litteris ſuis exprimebat ad longum, eratque negotium nondum abſolutum, ſed tunc vix inchoatum; illud verò, quod ſignificabatur per vocem *alio* vel *altero*, erat præteritum, *als V. E. ſich in't ander gequeten hebt*, id eſt, *quàm vos in altero geſſiſtis*, inquit.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

ET ſanè ipſe Reus in mendaciis ſibi non conſtans, interrogatorio 27. hunc eſſe ſenſum verborum Domini Graſper agnoſcit in verbis: *Quâ Epiſtola ejus primâ abſolutâ, ſupponitur hîc, ùt infrà ex aliis ejus Epiſtolis plenius probabitur, quòd Dominus Graſper cum bonis Amicis ſuis, ſivè benè intentionatis laudent, approbent, & urgeant proſecutionem duorum præfatorum memorialium juxta tenorem trium prædictarum Epiſtolarum.*

Et rursùs idem Reus interrogatorio 67. fortitudinem, quam laudat Dominus Graſper, illam intelligi debere cenſet, quæ in memoriis & litteris exprimebatur his verbis: *Epiſtola Domini Graſper ad Dominum Krys data ſic habet; De Memori-Maeckers ſyn geen van beyde uyt myne giſſinge gegaen, de wel meenende pryſen uwe dapperheyt.* Ad litteram: *Neuter memorialium confector fefellit conjecturam meam: benè ſentientes laudant fortitudinem veſtram.*

Nequiter proinde Reus hoc articulo 6. ſupponit fortitudinem, quam Dominus Graſper laudat in Amicis ſuis Hollandis, eam eſſe, quam illi oſtendiſſent, *in aliquo ſimili Formulario altero*, quod pari nequitiâ ibidem innuit eſſe alterum è Formulariis confictis menſium Junii & Januarii.

REFLEXIO CATHOLICA.

UBi veritas ibi modeſtia, atque tranquillitas. Ubi falſitas, ibi confuſio. Ubi pertinacia cum errore, ibi furoris impetus, maledicentiæ libido, & calumniæ perpetuitas. *In mendaciis ſibi non conſtans*, inquiunt. Ipſi ſcilicet conſtant ſibi, qui ſtatim uni eidemque Graſperianæ propoſitioni ſenſus tribuerunt tam multos ſibi repugnantes. *Nequiter proinde ſupponit*, inquiunt, & infrà *pari nequitiâ ibidem innuit*. Errat autem Henricus Malcorps cum ſuis, ſi exiſtimant Patris Deſirant conſtantiam poſſe ſimilibus Janſenianis Phraſibus perturbari. Nollet ab iſtiuſmodi hominibus laudari. Hieronymo judice, Catholici gloria eſt, quòd omnes ipſum hæretici deteſtentur. In corde enim ſuo, in iſto pectoris penetrali geſtat ſolatium fidei, & pro parvis, quæ pati videtur adverſitatibus, ſpem certam fovet magnæ retributionis. Ceterùm in adductis verbis Graſperianis manifeſtè agitur de duplici fortitudine, una, quæ reſpicit præſentia, ad quæ Graſper Amicos Batavos, nomine Amicorum Lovanii degentium, malè excitat, atque hortatur; alia quæ reſpicit præteritum, de quo veluti tranſacto eoſdem illorum nomine laudat. *Doch wy hopen ons hier in ſoo kloeck te draegen, als V. E. ſich in'tander gequeten hebt*, id eſt, *ſperamus equidem nos in hoc tam fortiter gerere, quàm vos in altero geſſiſtis.* Non adhortatur ad alterum, ſed laudat illud, & proponit velut exemplum præteritum; negotium verò D. Pro-Vicarii Damen erat tunc, id eſt, 16. Februarii 1707. tantummodò inchoatum.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

VErùm, inquit Reus ibidem, non poteſt Formulare, de quo agit Dominus Graſper, *intelligi de Formulario Alexandri VII.; nam velle huic Lovanii reſiſtere criminoſum eſt; & quia cauſa Formularii Alexandri VII. eſt publica, & praxis ejus jam eſt regulata juxta Conſtitutionem Clementis XI. feliciter regnantis.*

Quòuſque vera & ſincera ſint hæc ultima aſſerta Rei, Magnificentiæ veſtræ expendendum relinquit Actor ex ſequentibus.

Primò, notandum eſt, quomodò non ita pridem Facultas Theologica antiquum ſuum Formularium ab Alexandro VII, ejuſque Succeſſoribus probatum & laudatum immutaverit.

REFLEXIO CATHOLICA.

HÆc res ſcilicet tangit ſincerum Dominum Henricum Malcorps, qui à paucis annis conabatur cuidam protectori ſuo perſuadere, ſe ſervare fidem, quam à puero didicerat; ſeque Janſeniſmi cauſam non intelligere, neque velle huic immiſceri. Audiamus autem, quidnam de Formulario, prout à Clemente XI. feliciter regnante ordinatum eſt, ſit dicturus homo laïcus, in infantia baptizatus, & in pueritia edoctus frequentare Catechiſmum, ubi procul dubio audivit, & adoleſcens credidit, Eccleſiam eſſe Congregationem fidelium, ſub uno Summo poſt Chriſtum in terris Capite, & Vicario, Romano Pontifice.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

SEcundò, quòd mutatio illa facta ſit contra diſertam prohibitionem iſti Facultati intimatam à Prædeceſſore Magnificentiæ veſtræ, Eximio Domino Claes, de unanimi conſenſu omnium quinque Facultatum, & quidem ſub gravi mulcta, & contra prohibitionem Illuſtriſſimi Buſſii, tunc temporis Bruxellis Inter-Nuntii Apoſtolici.

Tertiò, quòd nè hactenùs quidem conſtet de mandato Pontificis, illam immutationem præcipientis.

REFLEXIO CATHOLICA.

QUot verba, tot errata, totidemque impertinentiæ. Fingamus enim hæc vera eſſe, inde tamen nihil eruitur pro Henrico Graſper.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS. ad §. VI.

QUartò, quòd multò minùs conſtet de placetata per Regiam Majeſtatem Conſtitutione Clementis XI. juxta quam interim Facultas Theologica ſuâ authoritate Formularium Alexandri VII. publicare, ejuſque praxim regulare auſa fuit.

REFLEXIO CATHOLICA.

ERat Facultas ſacra munita Placito Apoſtolico, neque creditur, quòd Henricus Malcorps in Catechiſmo audiverit, Romanum Pontificem Summum poſt Chriſtum in terris Caput, & Vicarium eſſe dependenter

à Placeto alio. Si mors, & ſecuturum Dei judicium ſic à Placeto pendêrent, ut nemo niſi mortem ſubire placetatam, nemo niſi judicium experiri deberet placetatum; tunc demum Placeti jura ultra id quod in beneficiis, aliisque temporale eſt, contra manifeſta Catholicorum Principum Placita extendentes, validum munimentum obtruderent, quo ſe ſuaque defenderent: ubi autem omnibus notum eſt, quòd mors Sceptra ligonibus æquet; quàm pertimeſcenda mors ſit omnibus, quàm ſit tremendum Dei judicium, cogitent illi, quibus nequit eſſe certum, imò neque apparens, quòd Judex Chriſtus, Vicarii ſui Sanctiones, in materia fidei & morum, nec non diſciplinarum merè ſpiritualium conditas, ad pondus Placeti appenſurus ſit in ſtatera Evangelii.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

QUintò, notorium eſt, plures Academicos, & præcipuè Clero Hollandiæ adſcriptos per immutationem illam antiqui Formularii Facultatis, etiam Superioribus ipſorum conſciis, & aſſentientibus, à ſuſcipiendis Gradibus in Theologia abſtinuiſſe.

REFLEXIO CATHOLICA.

GRandis Formularii utilitas, & magnum Eccleſiæ beneficium, quòd tales non irrepſerint.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

HÆc omnia ignorare non poterat Reus, adeoque nec dubitare, quin Formularium, de quo ageret, & in cujus negotio ſe fortiter acturum ſcribebat Dominus Graſper (ſi nimirùm ipſe, vel alii è Clero ad Gradus Theologicos ſuſcipiendos à ſuis reſpectivè Præſidibus cogerentur) eſſet Formularium, quòd Reus cum ſuis propriâ authoritate in Facultatem Theologicam invexerat.

REFLEXIO CATHOLICA.

ADmirare, Lector Catholice, non modò Janſeniſtarum contradictiones, ſed talem inſuper ac tantam in iis, qui adhærent illis, excœcationem, ut nolint videre illas, licèt ſplendeant, ſicut Sol fulget in medio die. Paucis me expediam. Suſtinent, quòd Henricus Graſper egerit de hoc Formulario Alexandri VII. ſtatimque ſubdunt, quòd Lovanii *erat notorium, plures Academicos, & præcipuè Clero Hollandiæ adſcriptos, per immutationem illam antiqui Formularii Facultatis, etiam Superioribus ipſorum conſciis & aſſentientibus, à ſuſcipiendis Gradibus in Theologia abſtinuiſſe.*

nuisse. Hæc omnia ignorare non poterat P. Desirant, inquiunt. Si verò hoc erat ita notorium, ut Pater Desirant non potuerit ignorare, igitur Henricus Grasper non egit de hoc Formulario. Egit enim de Formulario quod adhuc erat quietum. Verba ejus sunt limpidissima : *Van't formulier ist noch stil, doch wy hopen ons hier in soo cloeck te dragen*, id est, *de Formulario adhuc est quietum, speramus equidem nos in hoc tam fortiter gerere.* Nisi verò jam audeant dicere, quòd simul stet, Formularii negotium fuisse notorium simul & secretum, sivè quietum. Flagitiosæ tergiversationes, quas adferunt, & ineptæ contradictiones, quas adducunt, magis magisque confirmant, Formularium, saltem quoad substantiam fuisse ab illis dictatum, assumptumque. Agnoscant ergò veritatem, & confiteantur Formularium scriptum, cujus contenta factis suis, plorante Belgio, toties executi sunt, & exequuntur.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

DEnique evidens est, in prædictis verbis D. Grasper agi de Formulario, quod timebant sibi impositum, sivè à se exactum iri; & contra quod se viriliter opposituros scribunt.

REFLEXIO CATHOLICA.

EVidens est, illic agi de Formulario, quod erat quietum, in quo ipsi debebant esse actores, in verbis pluries citatis, *speramus nos in hoc tam fortiter gerere.* Non agebatur ergo de Formulario quod metuerent sibi imponendum, sed de Formulario per quod parati erant ad fortiter agendum.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

POrrò, evidens debebat esse Reo, id non intelligi de fictis Formulariis : quandoquidem nulli invito illa imponerentur, neque timendum esset, nè quisquam ad subsignandum adigeretur.

REFLEXIO CATHOLICA.

NE per umbram quidem significat, se de Formulario agere, quod metuat imponi invitis : sciebat enim nullum Hollandum Lovanii ad Gradus cogi, & consequenter à nullo invito Formularii Alexandri VII. juramentum exigi ; sed manifestè agit de Formulario, ad cujus executionem activam, illamque fortem jam erant determinati.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

COnsequenter non erant excitandi Amici ad resistendum, casu quo exigeretur, quemadmodum in litteris significatur, sed potiùs significasset D. Grasper, numerum signantium, aut ad signandum se offerentium crescere, & ad signandum se animare.

REFLEXIO CATHOLICA.

IN Epistolis Henrici Grasper nec verbum, nec apex occurrit, quo significetur Amicos excitari ad resistendum, sed ad agendum. De offensivo agunt, non agunt de defensivo. Ubi verò scribit, *speramus nos in hoc tam fortiter gerere*, satis insinuat, numerum esse sufficientem, & forsan completum.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. VI.

ITaque clarum debebat esse ipsi Reo, in prædictis Epistolis agi de Formulario Alexandri VII. per Facultatem Theologicam introducto, quòd D. Grasper, ejusque Amici Theologi de Clero Hollandico metuebant sibi impositum iri, & contra quod se animabant, & generosum suum animum ostendere volebant.

REFLEXIO CATHOLICA.

JUdica, Lector Catholice, an ista potuerint facere sine Congregationibus quas negant. Judica etiam, an responsiones tam frivolæ, contradictiones tam apertæ, & contorsiones tam deploratæ non potiùs evincant, quòd opinio contraria, si fortè in principio passa fuerit aliquam formidinem de opposito, jam tandem abierit in certitudinem, præsertim attentis factis publicis tot atque tantis, quæ Formulariis nimiùm conveniunt. Unicum sufficit, quòd D. Henricus Malcorps, postquàm toties & tam diu Henricum Grasper examinavit, & ut sensum aliquem innocuum adduceret, unà cum Amicis cohortatus fuit, nullum tamen talem sensum hactenùs assequi potuerit, ideoque tres quatuorvè sensus diversos, distortos, & sibi mutuò repugnantes attulerit. Profectò, si Henricus Grasper non de cognito Formulario diei 10. Januarii, & alio de mense Junio egisset, verborum suorum sensum dedisset singularem, unicum & clarum. Quidquid sit tamen, D. Henricus Malcorps cum suis apertè confitentur, Lovanii conventum atque concluſum fuisse, strenuè adversùs Alexandri VII. Formularium se opponere. Atqui hoc ipsum

& conſpiratorium, & criminoſum eſt; neque in famoſo Formulario de 10. Januarii plus mali continetur. Fatentur igitur ſe feciſſe id, quòd in hoc Formulario dicebatur faciendum eſſe: & ita in ipſa criminis purgatione rei inventi ſunt.

CONCORDANTIA VII.

De Cauſa Eruditiſſimi Domini *vanden Neſſe*.

In Congregatione de 28. *Julii* 1706. *dicitur art.* 7. Negotia Eruditiſſimi Domini vanden Neſſe contrà Archiepiſcopum eſſe iterùm proſequenda, & ita cætera omnia negotia Amicorum eſſe expedienda, cùm nimis longum foret, de uniuſcujuſque in particulari negotiis proponere. Et reſolutum eſt, omnes antedictas Propoſitiones eſſe executioni mandandas, & ad omnes Amicos copias hujus Reſolutionis eſſe mittendas.

At verò Dominus Graſper in Epiſtola de 20. *Februarii ad Dominum Krys ſcribit.* Cauſa Bruxellenſis non eſt quidem in malo ſtatu. Interim verò cùm Concilium ſit nonnihil flaccidum, timetur, nè optatum exitum non recuperatura ſit, & interim cùm Deputati moras agunt, & negotium ejus in relatione ſit, forſan ante ipſorum adventum abſoluta fuerit.

Omnibus notum eſt, quòd 20. *Februarii cauſa Domini vanden Neſſe Bruxellenſis reverà dicebatur eſſe in relatione in Concilio Statûs.*

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. VII.

De Cauſa Eruditiſſimi Domini *vanden Neſſe*.

SAltum eſt eruere Concordantiam ex eo, quòd aliquid de Cauſa Domini vanden Neſſe miſceat litteris ſuis Dominus Graſper: quis enim de Cauſa iſta tam celebri in Belgio, non ſcriberet ad Amicos ſuos?

REFLEXIO CATHOLICA.

NOn fuit objectum, *quòd aliquid miſceat*, ſed quòd urgendum putet adventum illorum, de quibus ibidem; & quòd eatenùs cum anterioribus concordet. Ad hoc autem nihil reſpondetur. Iterùm vincuntur.

CONCORDANTIA VIII.

De contemptu Concilii Statûs Bruxellenſis, & exſpectatione Deputatorum Hollandiæ ad ſupprimendos Adverſarios.

De hac exſpectatione, & cauſarum dilatione fuſiùs tractatur in Libro Reſolutionum, & Epiſtolâ de 13. *Januarii, prout etiam in Epiſtola, & Formulario de* 10. *Ianuarii.*

Epiſtola verò Domini Graſper non tantùm in Cauſa Bruxellenſis vanden Neſſe dicit: Interim verò cùm Concilium ſit nonnihil flaccidum: *Sed inſuper in Epiſtola de eadem* 20. *Februarii* 1707. *ad D. Ioannem de Graef, ponit hæc verba:* Omnes cauſæ ſtant hîc etiamnum in eadem altitudine, cum adventu Deputatorum exſpectatur mutatio, & ſperatur fore, ut omnia novam faciem acceptura ſint.

Evidens eſt, quòd atro calamo depicti ſint viri ſanioris partis, qui tamen prætendunt æquè magnum & magis ſincerum, Excellentiſſimis Dominis Deputatis exhibere reverentiæ obſequium, cunctique honoris officium, quàm depictores illi, qui convincuntur quærere, quæ ſua ſunt, cunctaque velle innovare.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. VIII.

De contemptu Concilii Statûs Bruxellenſis, & exſpectatione Deputatorum Hollandiæ ad ſupprimendos Adverſarios.

COntemptum Concilii Statûs Bruxellenſis, & hic more ſuo Reus affingit Domino Graſper, qui nihil aliud dicit, quàm quòd Concilium ſit nonnihil flaccidum, quod nihil aliud ſignificat, quàm Concilium tardiùs procedere, quàm ipſe vellet, quod non eſt Concilium contemnere.

Porrò, quod ad Concordantiam hîc attinet, eam, tam in litteris quorumcumque aliorum invenire potuiſſet Reus, quàm in litteris Domini Graſper, cùm non agatur niſi de novis communibus & publicis, quæ ſcribunt omnes.

REFLEXIO CATHOLICA.

VIs Concordantiæ ponitur in iſta Deputatorum exſpectatione, ad quam nihil reſpondetur. Non loquitur de rebus Hollandiæ, ſed Brabantiæ. *Omnes cauſæ* STANT HÎC *etiamnum in eadem altitudine. Cum adventu Deputatorum exſpectatur mutatio, & ſperatur fore, ut omnia novam faciem acceptura ſint*, inquiunt. Quid clarius? Conferantur hæc cum famoſo Formulario de 10. Januarii, & Libro Reſolutionum, & ſignanter cum Epiſtola de 13. Januarii 1707. *Spero negotia noſtra optatum ſucceſſum habitura ..... commendo vobis ut velitis felicitatis noſtræ curam habere apud Dominos Status Hollandiæ*; & detur diſparitas, ſi poteſt.

CONCORDANTIA IX.

De Cauſa Doctoris Hennebelli.

In Congregatione de 15. *Auguſti* 1706. *habetur.* Negotia Domini Hennebelli contra Regentes ſtrictæ Facultatis Theologicæ, & maximè contra Eximium Dominum Martin, eſſe agenda omni vigore juris.

Dominus Graſper in Epiſtola ſua ad Dominum Krys de die 16. *Februarii* 1707., *dicit*: Cauſa Hennebelli rejecta non eſt, tantummodò exſpectat faventem ventum ex Hollandia, quando Doctores appulerint, *inquit*.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. IX.

IDem reſponſum ſufficiat.

REFLEXIO CATHOLICA.

ERubeſcunt ſcilicet de vento loqui, quem exſpectabant ad agitandam navem Petri.

CONCORDANTIA X.

De correſpondentia Domini Licentiati *Opſtraet*

Quòd D. Licentiatus Opſtraet toto Libro Reſolutionum habeatur inter præcipuos, qui cauſis communibus immiſcentur, patet ex pag. 1. *ubi nomen ejus collocatur inter nomina Amicorum, item ex Congregatione de* 28. *Julii* 1706. *ubi dicitur:* Quartò, tentandum eſſe reditum Domini Opſtraet. *Item ex Congregatione de* 15. *Auguſti ejuſdem anni; denique ex Congregatione de* 2. *Ianuarii* 1707. *ubi appellatur* primus Felicianus.

Dominus Graſper in Epiſtola de 16. *Februarii* 1707. *ad præfatum Dominum Krys dicit:* Deſiderium tuum ab Opſtraet ad votum completum eſt, & duplicare facit gratias pro affectu tuo.

De eodem D. Licentiato Opſtraet ſub nomine Platearii, *idem Dominus Graſper, prout ſuprà diximus, ad eundem Dominum ſcripſit in Epiſtola de* 20. *Februarii* 1707. Platearius ſalutat te unâ pro mille vicibus, & non ſatis poteſt laudare zelum tuum: illa Epiſtola collocabat ei lætitiam ſuper genas, nec faciebat eum aliud clamare, quàm benedictus Dominus, benedictus Dominus, manus Domini eſt nobiſcum. Poſt quod requirebat me, ut vellem ſcribere, quatenùs omnes Domini equidem in eadem generoſitate vellent perſeverare.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. X.

De correſpondentia Domini Licentiati *Opſtraet.*

NEc ullâ bonâ fide aut ſpecie conſequentiæ potuit hinc Reus Concordantiam elicere; nullo enim modo ſequitur: In Libro Reſolutionum, Dominus Opſtraet habetur inter præcipuos, & in litteris Domini Graſper fit mentio de Domino Opſtraet: Ergò Liber Reſolutionum & litteræ Domini Graſper concordant.

REFLEXIO CATHOLICA.

COncordantia vim non ponit in eo, quòd in litteris Domini Graſper fiat mentio de Domino Opſtraet; ſed quòd Dominus Opſtraet Henricum Graſper requiſiverit, *ut vellet ſcribere, quatenùs omnes Domini in eadem generoſitate vellent perſeverare.* Ad hoc non reſpondetur.

CONCORDANTIA XI.

De Cauſa Eximii Patris *Deſirant.*

De illo invadendo per Dominum Gautium, agitur in Congregatione de 28. *Julii* 1706. *ubi dicitur* : 5. litem Domini Gautii contra Eximium Patrem Deſirant eſſe denuò in Concilio Brabantiæ proſequendam.

Et de illo ſupprimendo per Religioſos Confratres ſuos, agitur in Congregatione de 11. *Auguſti* 1706. *Item in Congregatione de* 15. *Auguſti, & denique in Congregatione de* 23. *ejuſdem Auguſti dicitur* : Et unanimi conſenſu reſolutum fuit, ante omnia, Eximium Patrem Deſirant Bruxellas, aut ad alium Conventum curandum eſſe amoveri, eique injungendum eſſe à ſuo Superiore, ut Chorum & Refectorium frequentet, veluti unus alter Monachus, hortum ſuum eſſe funditùs evertendum, ſuum Famulum expellendum eſſe, Secretarium ſuum Patrem d'Herbe, & Confeſſarium eſſe dimittendos, prohibendum eſſe ei ſub præcepto obedientiæ, ne rhedâ ampliùs utatur, vel ſi Capitulum Eximium Patrem Deſirant amovere, aliquas ob rationes nolit, reſolutum fuit ulteriùs creandum Lovanii eſſe Superiorem ei offenſum, & qui in eum animadvertere non deerit, ei aſſignandum eſſe ſocium, qui omnia explorare, & referre poterit ſuo Superiori, quid agat, quò tendat, & quæ negotia habeat.

Et in Congregatione de 30. *menſis Octobris ejuſdem Anni dicitur* : Convenerunt Amici, & relatum eſt Eximium Patrem

Desirant appellasse, à Resolutionibus captis in Definitorio Capituli Provincialis Mechliniæ celebrati ad onus ejus, ad Reverendissimum Patrem Generalem Ordinis, quamobrem Patres Definitorii summoperè esse perturbatos, & unanimi consensu, resolutum fuit, ideo adhuc pergendum esse contra Eximium Patrem Desirant.

In Epistola Domini Grasper ad eundem Dominum Krys de die 16. *Februarii, includitur & remittitur in Hollandiam Epistola, cujus ultimæ litteræ sunt Hr. Tr. in qua dicitur:* Sed peculiariter in Augustinianum Monachum tormentis bellicis explodendum est

Nec refert, quòd Epistola, in qua hoc dicitur, non sit Epistola Domini Grasper. Satis est, quòd idem Grasper in primo suo fasciculo de 16. *Februarii hanc Epistolam unà cum duabus aliis Epistolis, nec non duobus memorialibus ad se missam, in Hollandiam remittat cum tanta approbatione, ut in Epistola ad Dominum Krys de* 20. *Februarii* 1707. *de illis omnibus, nimirùm* V. E. brieven ende memorien, *id est,* litteras vestras & memorialia, *dicat*: de welmeenende prysen V. E. dapperheyd. *id est,* benè intentionati laudant fortitudinem tuam.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XI.

De Causa Eximii Patris *Desirant.*

ET quis, quæso, de Causa Eximii Patris Desirant ad Amicos non scriberet? Ideonè ipsius litteræ concordabunt cum Libro resolutionum?

REFLEXIO CATHOLICA.

NOn tantùm hîc de hac causa scribitur, sed Decretum conditur, quid agendum? Quisquis ad Amicos illo tempore, & in iisdem circumstantiis scripsisset, *Maer bysonderlyck moet op den Augustyner Monick gecanonneert vvorden*, id est, *sed præcipuè in Augustinianum Monachum tormentis bellicis explodendum est*, cum Libro Resolutionum, ubi simile Decretum conditur, eatenùs concordasset. Ad hoc non respondetur. Cur autem?

Interim

interim fatentur, quòd citata Epiſtola per *Auguſtinianum Monachum* intellexerit *Eximium Patrem Deſirant*. Quaſi verò licuerit ipſis talia Decreta condere, & Henrico Malcorps exequi, prout executioni mandata fuerunt. In hoc ergò eſt Concordantia, quòd utrobique condantur Decreta violenta, de irrogandis injuriis, quæ reverà ſubſecutæ fuerunt. Ad hoc reſpondendum fuerat, non ſimpliciter fingendum, prout iterùm in hac ſua reſponſione finxerunt, ſibi in hac Concordantia tantummodò fuiſſe objectum, quòd in litteris Graſper, aliquid ad Amicos de Cauſa Patris Deſirant ſcriberetur. Poterant hæc perſuadere iis, qui Concordantiam non viderant. Ubi verò nunc Concordantia ipſa profertur; tum ſolita conſpirantium crudelitas & malitia, tum materiarum paritas, in ipſorum confuſionem detegitur.

CONCORDANTIA XII.

De Authoritate Sedis Apoſtolicæ impugnata.

In Epiſtola famoſa de 10. *Januarii* 1707. *pro cauſa formandi & ſignandi novi Formularii dicitur:* Non dubito, quin fruituri ſimus protectione Hollandicâ, præferendâ omnibus aliis, hoc modo poterimus evadere Romanorum & inimicorum noſtrorum oppreſsiones, quæ imminent.

Similia habentur in Congregatione de 15. *Novembris* 1706. & *item in Congregatione de* 30. *Decembris ejuſdem anni.*

In primo faſciculo Domini Graſper includuntur, remittuntur, & laudantur duo memorialia nulli inſcripta, ſine titulo, ſine concluſione, ita ut neſciatur, ad quos dirigantur.

Primum verò memoriale, quod Dominus Graſper remittit, & cum ſuis Lovanienſibus benè intentionatis, ut vocat, tam vehementer laudavit, Adverſarios, id eſt ſanioris partis viros, vocat ſerviles zelatores Jeſuitarum, & Aulæ Romanæ.

Item memoriale ſecundum, quod eſt majus, Vicario Adamo Damen vitio vertit, & objicit, quòd incolæ Romano-Catholici ſub directione ejus per poteſtatem extraneam, id eſt, Aulam Romanam, gubernabuntur, opprimentur, & deſpoticè regentur.

Item paulò infrà , cum ſumma indignatione dicitur : Et hoc præcisè illo tempore , quo partialitas Aulæ Romanæ contra Epiſcopum Paderbornenſem Orbi patet , & unicuique notum eſt , quòd Pontificis Nepotes ſint potentiſſima inſtrumenta iſtius partialitatis , per quod ille (*Vicarius*) tantò magis à Roma , & iis , qui ipſi Vicariatum procuraverunt , ſerviliter dependebit , iſtam Aulam , & qui ei faverunt , in omnibus defendendo & OBEDIENDO.

Denique in fine odioſiſſimè concluditur : Quid aliud exſpectandum , quàm quòd ſimilis Vicarii Conſtitutio poſteà ſemper obtinebit , Jeſuitæ ſuſcitatores diſcordiæ dominabuntur , & nativi opprimentur , & numerus trecentorum millium Romano-Catholicorum per Aulam Romanam deſpoticè regetur ?

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XII.

De Authoritate Sedis Apoſtolicæ impugnata.

IN Libro Reſolutionum impugnatur quidem Authoritas Sedis Apoſtolicæ , ſed Liber iſte ab ipſo Reo confictus eſt , adeoque & impugnatio Sedis Apoſtolicæ innocentibus ab ipſo afficta eſt : in memorialibus verò iſtis non defenduntur , niſi jura Cleri Hollandici , proinde nulla inter hæc & Librum Reſolutionum Concordantia.

REFLEXIO CATHOLICA.

JUdica , Lector Catholice , an in memorialibus , quæ agnoſcunt , non defendantur , niſi jura Cleri Hollandiæ. Suntnè jura Cleri Hollandiæ , Sedem Apoſtolicam tam atrociter proſcindere ? Judica , quis hîc recurſus inſtitutus fuerit , à quibus , contra quem , ad quos , quomodò , & qualibus terminis , & qualiter recurſus ille alibi inſtitutus , approbetur à Janſeniſtis Lovanienſibus , qui cauſas ſuas , ùt ſuprà vidimus , eodem modo propoſitas , & protectas voluerunt. Non quòd hîc vel in minimo illos redarguamus , ad quos recurſum fuit : illi enim ſequuntur ſua principia , & prætenſos illos Catholicos aſpiciunt ad ſuum Tribunal recurrentes , prout placet. Judica verò , Lector , an hos recurrentes non conveniret appellari *trad*..... ? Judica denique , an hæc facta diſcrepent ab iis , quæ in famoſo Formulario de 10. Januarii continentur. Et ut ju-

dicium ſit firmius, lege utrumqe memoriale, quod ſuprà exhibitum fuit, ubi in fine corrector poſuit, *ponerem* 500000., ut ſcilicet numerum redderet odioſiorem.

CONCORDANTIA XIII.

De contemptu Miniſtrorum Sedis Apoſtolicæ.

Aſſertum Formulare de 10. *Januarii* 1707. *in terminis dicit :*

Nullos Delegatos Sanctæ Sedis ad nos huc miſſos veluti Miniſtros ejuſdem eſſe habituros, nulla Decreta eorumdem eſſe obſervaturos.

Et in Congregatione de 15. *Novembris* 1706. *propoſitum fuit Amicis*, utrùm ſint parati reſpuere omnia Decreta, quæ Illuſtriſſimus D. Inter-Nuntius feret ..... & unanimi conſenſu reſolutum eſt ..... ſeſe contentos eſſe, ut prædicta ita fiant.

D. Graſſer in primo memoriali, de quo ſuprà, Dominum Adamum Damen culpat, quia inter alia habebit Coloniæ à latere ſuo Nuntium Buſſi, debebit totaliter ab ejus nutibus dependere. Nuntius in hoc negotio injuriam infert Clero, à quo Damen nec propoſitus, nec requiſitus fuit.

Et hæc omnia in utroque memoriali ſæpiùs repetuntur.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XIII.

De contemptu Miniſtrorum Sedis Apoſtolicæ.

IDem.

REFLEXIO CATHOLICA.

ITa ſolent breviter reſpondere convicti.

CONCORDANTIA XIV.

De vilipendentia Superiorum Eccleſiaſticorum.

Lovanienſes Amici, ùt ſeſe vocant, in Congregatione de 29. *Septembris* 1706. *& in Congregatione de* 3. *Novembris* 1706. *& alibi de Archiepiſcopo Mechlinienſi loquuntur contemptibiliter, & indecenter, & in Congregatione de* 17. *Octobris* 1706. reſolutum eſt, omnia negotia eſſe expedienda, & ſeſe adhuc inhærere anterioribus Reſolutionibus, volentes, ut, tam benè contra Archiepiſcopum Mechlinienſem agatur, quàm contra alios, quandoquidem per Hollandiæ protectionem multa negotia modò fauſtum exitum habuerint.

Similiter præfata memorialia in litteris Domini Graſper inclusa, contemnunt, deſcribunt, & turpiſſimè exagitant perſonam Adami Damen tamquam incapacis, partialis, & ineruditi, prout legenti patet, & nimis longum foret cuncta repetere.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XIV.

De vilipendio Superiorum Eccleſiaſticorum.

IDem.

REFLEXIO CATHOLICA.

IDem ſolent reſpondere convicti.

CONCORDANTIA XV.

De Congregationibus.

In Libro Reſolutionum 3. *Junii habetur*; renovatæ ſunt Congregationes Lovanii: & *univerſim inveniuntur Congregationes viginti-novem, ita ut Congregationes illic continuentur tamquam ſolitæ & conſuetæ. Et in Congregatione de* 19. *Julii*

dicitur aliquis prælegisse Epistolas, quibus indicatur, numerum Amicorum hîc & ibi degentium, esse auctum, & quotidiè augeri. *Et in Congregatione de* 7. *& in alia de* 17. *Octobris* 1706. *fit mentio communicationis litterarum cum Amicis Hollandiæ, & maximè in Epistola de* 13. *Januârii signata Z. B. V. E. ubi dicitur*: Poteris clarè videre, quòd adhuc simus bono animo, idem sperando de te, & de omnibus aliis Amicis ..... intendimus Congregationes nostras continuare antiquo nostro more.

In Epistola Domini Grasper de 16. *Februarii* 1707. *includitur & laudatur Epistola scripta Leidæ* 7. *Februarii* 1707. *ubi dicitur*: Perendiè, cum Deo, imus in Hofstadt: *fortassis Hagam-Comitis*, ut ignem indamus negotio, sed cras uni ex ignavis seu garrulis hîc propè curabo metum injici.

Et idem scribit 9. *Februarii.* Jam jam venio ex Hofstadt, ubi solita Congregatio facta est.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XV.

De Congregationibus.

NE verbum quidem de Congregationibus in litteris Domini Grasper: undè nec ex his nisi fide & consequentiâ pessimâ eas eruit Reus, ac imprimis eruere eas nititur articulo quinto suæ Concordantiæ, ex eo, quòd Dominus Grasper communi nomine scriberet, in verbis: *Non possit autem intelligi, quòd de tot & tantis communi nomine scribat, nisi ii, qnorum nomine scribit, alibi & aliquando conveniant, ecce Congregationes, quæ per unum sua sensa scribunt ad eundem*, inquit Reus.

REFLEXIO CATHOLICA.

AGimus hîc de Concordantiæ articulo, non quinto, sed decimo-quinto. Suprà ad articulum quintum tam impotenter responsum fuit, ut quivis æquus Lector facilè sit judicaturus, quòd circumstantiæ in dicto articulo quinto expressæ, seditiosam Congregationum, de quibus agitur, consuetudinem plenè probaverint. Frustrà hoc art. 15. tentant restaurare cladem.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. XV.

His insinuatum cupit Reus, Lovanii dictas Congregationes fuisse institutas, quæ per Dominum Grasper sua sensa scriberent ad eundem, nimirùm ad Dominum Jacobum Krys: Sed jam antè advertit Actor in Libro Resolutionum illam commissionem scribendi ad Dominum Jacobum Krys & alios, constanter affingi Clarissimo Domino van Espen, non autem Domino Grasper, ùt hîc rursùs Reus significat.

REFLEXIO CATHOLICA.

JAm suprà responsum est satis, commissionem scribendi ad D. Jacobum Krys, Doctori *van Espen*, in Libro Resolutionum datam & continuatam fuisse usque ad 2. Januarii 1707. sed non ultrà. Liber Resolutionum per Petrum allatus fuit die 27. ejusdem. Tunc enimverò fuerat mutandum systema. Nihil naturalius, quàm ut hæc sparta tunc committeretur alteri, nimirùm Henrico Grasper Hollando, qui recenter ex Hollandia Lovanium venerat. Fueruntque hæ scriptiones constantes, nimirùm tam primæ quas *constanter fictas* vocant, quàm secundæ quas constanter agnoscunt veras. Fidem superat, quòd Petrus, vel quilibet alius in mense Januario eadem finxisset, illorumque inscriptiones ad Jacobum Krys direxisset, ad quem præcisè, quæ posteà in mense Februario, de iisdem negotiis per Henricum Grasper constanter scribebantur, constanter directæ fuerunt Captum humanum superat, ubi posteriora agnoscuntur ùt vera, velle contendere quòd anteriora fuissent conficta. Nullus ex ipsorum Adversariis poterat in mense Januario scire, quidnam, & ad quemnam de istis materiis, in subsequenti Februario scripturi essent. Profluxerunt ergò omnia ex eodem fonte.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. XV.

DEinde facilè Reus intelligere poterat, Dominum Grasper de tot & tantis negotiis communi nomine scribere potuisse, etiamsi illi, quorum nomine scribebat, non convenirent *alibi & aliquando*, modò scilicet illos seorsim adiret dictus Dominus Grasper. Pessima igitur consequentia est, quam Reum in suprà allegatis verbis feciisse jam ostensum est.

REFLEXIO CATHOLICA.

ID est, Henricus Grasper ostiatim iviisset ad Amicos ad colligenda quodammodò ipsorum suffragia, quæ conveniissent inter se, sine Ami-

corum conventione. Ecce, quid cogitationis peregrinæ extundant anguſtiæ.

PROSECUTIO D. H. MALCORPS ad §. XV.

PEjore etiam fide Congregationes illas *alibi* (vult dicere *alicubi*) inſtitutas fuiſſe contendit Reus ex Epiſtola ſcripta Leydæ, nonâ Februarii, in qua ſcriptor Amico ſuo, ad quem Epiſtolam dirigit, dilucidè & clarè ſignificat, ſe Hagæ-Comitis fuiſſe, & ibi adiiſſe omnes illos, quibus de negotio iſto loqui conſueverat. Verba ſcriptoris ſunt: *Kome ſoo uyt Hofſtadt, alwaer de gewoone ronde geſchiet is*: quæ verba Reus, homo Flander Flandricæ linguæ ſcientiſſimus ſolitâ ſuâ fide ita vertit hoc ipſo articulo decimo-quinto, *Jam jam venio ex Hofſtadt, ubi ſolita Congregatio facta eſt.* Quis poſt hæc miretur, Reum ſimili artificio ex quovis poſſe colligere quidlibet, adeoque inter res diverſiſſimas potuiſſe Concordantiam tali methodo exhibere?

Quid enim affine dictis verbis: *gewoone ronde*, cum *Congregatione*? imò ſi fuiſſet *Congregatio*, non opus fuiſſet facere circuitum ſolitum, *de gewoone ronde*.

Quis mortalium non judicabit, hominem illum profligatæ fidei eſſe, qui adeo multa & evidentia peſſimæ ſuæ fidei argumenta præbet, etiam tunc cùm bonam ſuam fidem adſtruere nititur? Sed nondùm mendaciorum finis.

REFLEXIO CATHOLICA.

PAter Deſirant meritò contendit illas Congregationes inſtitutas fuiſſe *alibi*, id eſt, *elders*, non *alicubi*, id eſt *ievers*, prout ſemi-grammatici malè corrigunt. Prætereà pro flandrica voce *ronde*, poſuit latinam vocem *Congregatio*. Hîc more ſolito exclamant id *malâ fide factum eſſe*. Vocant *hominem profligatæ fidei*, & infrà: *ſed nondum mendaciorum finis*. Quid ad hæc dicemus, niſi quòd loquela ipſos manifeſtos faciat? Suſtinent vocem *ronde* non ſignificare *Congregationem*, ſed *circuitum*. At verò P. Deſirant natione Flander, cunctos Flandros in teſtes advocat, quòd vox *ronde*, litteraliter ſignificet *circum*, ſeu *circulum*. At verò circum ſeu circulum per metaphoram Congregationem ſignificare, eſt extra controverſiam. Si petatur: *ſyt gy inde ronde geweeſt met de andere*? Sic vertemus: *Fuiſtinè in circo, ſivè Congregatione cum cæteris*? Item, *wy hebben een ronde gehouden onder ons*, id eſt, *tenuimus Congregationem inter nos*. Item, *daer is giſter een ronde geſchiedt*, id eſt, *heri facta eſt Congregatio*. Et conſequenter, *kome ſoo uyt Hofſtadt, alwaer de gewoone ronde geſchiedt is*: verti debet: *jam jam venio ex Hofſtadt, ubi ſolita Congregatio facta eſt*. Vox *circuitus* flandricè vertitur, *omganck*, quæ vox multùm diſtat à voce, *ronde*. Poſſet quidem vox *ronde* in quibuſdam conſtructionibus ſynechdochicè ſignificare *circuitum*; ſed tunc deberent aliquæ voces addi, quæ ſignificent, circum vel circulum,

de quo ſermo foret, inter eundum factum fuiſſe: ſimiles autem voces in hac Epiſtola minimè reperiuntur. Sic diceremus, *vvy hebben de ronde gedaen lanckx de gevvoonelyck ſtraeten*; *fecimus circulum*, *ſivè circuitum per ſolitas vias*. Item, *de vvacht heeft de gevvoone ronde gedaen*, id eſt, *vigiliæ fecerunt ſolitum circulum*, *ſivè circuitum*. Nam aliundè ſcitur, quòd vigiliæ circulent eundo. Fingamus tamen, quòd per licentiam quandam grammaticalem poſſet Epiſtola de 9. Februarii ſic verti: *jam jam venio ex Hofſtadt*, *ubi ſolitus circuitus factus eſt*. Legatur verò Epiſtola quæ præceſſit de die 7. Februarii: *Perendiè*, *cum Deo*, *imus in Hofſtadt*, *ut ignem indamus negotio*. Non dicit ſcriptor, *vado*, ſed *imus*. Non dicunt ſe ire, ut ambulent, ſed *ut ignem indamus negotio*, inquiunt. Potuerunt nè iſti plures ſimul eò ire, & ſimul ignem negotio indere, & ſimul ſolitos circuitus facere, ſine Congregatione? Ecce ergò, ut non tantùm ſolita Congregatio, ſed etiam ſolitus iſtius Congregationis fructus, id eſt, ſolitus circuitus, ad expedienda negotia in Congregationibus reſoluta, habitus fuerit. Quid plura? Plura, ſi in re tam liquida opus eſt, dabimus.

Legatur Liber cui titulus *Cauſa Queſnelliana*: illic paginâ 132. producitur Epiſtola *Heuſſenii*, data Leïdæ quartâ Auguſti 1702., in qua habentur ſequentia: *Je viens d'arriver M. d'Amſterdam*, *où on a tenu Aſſemblée generale*.

Hæc propoſitio gallico idiomate ſcripta, latinè verti debet hoc modo: *Jam jam venio Amſtelodamo*, *ubi generalis Congregatio facta eſt*.

Non occurrit hîc Hollandica æquivocatio vocis *ronde*. Nam gallica vox *Aſſemblée*, univoca eſt, & nonniſi Congregationem ſignificat.

Hæc propoſitio, Hollandicè verti poſſet hoc modo: *Kome ſoo uyt Amſterdam*, *daer de generale ronde geſchiedt is*.

Si conferamus propoſitionem cum propoſitione, tantam inveniemus ſtyli paritatem, tantamque de rebus eiſdem, eodem modo ſcribendi concordantiam, ut ex eodem fonte profluxiſſe videantur. Sæpè enim fit, ut etiam inadvertenter rem eandem iiſdem Phraſibus exprimamus. Unica occurrit difficultas, quòd præfata Epiſtola de quarta Auguſti 1702. ſcripta fuerit ab *Heuſſenio*; Epiſtola verò quam remittit *Henricus Graſper*, quæ data fuit 1. 9. Februarii per dictum *Heuſſenium* ſignata non ſit. Audire video *Henricum Malcorps* facilè objicientem, fieri poſſe ut duo diverſi in aliquibus expreſſionibus conveniant, ita tamen ut diſcrepent in ſignificato. Sed pax ſit rebus. Non enim eſt impoſſibile ut Author Epiſtolæ, qui Leïdæ die 9. Februarii 1707. ſcripſit, *jam jam venio ex Hofſtadt*, *ubi ſolita Congregatio facta eſt*, ſit idem, qui pariter Leïdæ die quartâ Auguſti 1702. ſcripſit: *Jam jam venio Amſtelodamo*, *ubi generalis Congregatio facta*

eta est. Utraque Epistola scripta est in eodem Oppido Leidensi. *Hugo van Heussen*, qui nunc *Heussenius*, nunc *Hussius* dicitur, habitat Leidæ, tamquam Missionarius, gerens titulum Pastoris. Vocatur *M. Timothée* in Clavi Quesnelliana pag. 327. Habet forsan etiam alia nomina. Cunctis ritè ponderatis, ex characteribus patet, quòd Epistola quæ Leidæ data est die 9. Februarii 1707. sit ejusdem Authoris, qui scripsit Epistolam datam Leidæ 7. Februarii. Contenta referuntur ad se mutuò. Una dicit, *perendiè*, *cum Deo*, *imus in Hofstadt*; & altera prosequitur, *jam jam venio ex Hofstadt*. Una data fuit die septimâ; altera, die nonâ, id est, *perendiè*. Ex Epistola quæ data fuit septimâ Februarii, cognoscimus quòd Author binas memorias receperat à quodam *Lobs*. Cognoscimus etiam, quòd idem Author in una ex memoriis fecerit *modicam mutationem*, & quòd sic mutatam miserit ad quemdam *Musium*, ut hic *Musius* postea illam transmitteret Domino *Jacobo Krys*; verba Epistolæ sunt: *Quemadmodum videbis*, *dum Musius transmittet.* Si providi venatores sumus, ut cognoscamus hujus Authoris nomen, oportet *Musium* insequi. Nam ad *Musium* remittimur. Inter Grasperianas extat Epistola data nonâ Februarii 1707. signata M. hic procul dubio est *Musius* noster. Scribit enim ad *Jacobum Krys*, se mittere dictam *Memoriam*, quam acceperat mittendam. Et quidem virum nominat, à quo acceperat. En verba: Hussius *me tantummodò participem facit Memoriæ & accluse Epistolæ.* Ecce præcisè quem quærebamus *Hussium* nostrum. Est etiam notandum, quòd in præfato Libro, cui titulus *Causa Quesnelliana*, paginâ 81. exhibeatur Epistola *Theodori du Vaucel*, qui sub ficto nomine *Pauli Valloni* Archiepiscopi Sebasteni Romæ Agens fuit. Epistola data fuit Romæ 21. Septembris 1686. ad D. Arnaldum, sequenti tenore: *Je croiois*, *Monsieur*, *vous mander cette ordinaire la conclusion de l'affaire du Vicariat: mais cela est encore retardé. La Congregation se fit Mardi. Ce que j'en ai pû découvrir est, qu'on demeura d'accord, qu'il falloit choisir un Ecclesiastique du Clergé, & qui fut originaire des Provinces-Unies: qu'on se reduisit à trois, savoir,* M. VAN HEUSSEN, M. CODDE, *&* M. COUSEBANT *Vicaire de Harlem; en sorte neanmoins, qu'on pencha davantage pour* M. VAN HEUSSEN, *comme aiant été proposé par feu* M. DE CASTORIE, *& demandé par le Clergé.* CE QUI ARRETE, EST UN GRAND NOMBRE D'ACCUSATIONS QU'ON A FAITES CONTRE LUI. In eadem quidem Causa Quesnelliana refertur quòd *Hussius* in suam defensionem, nescio quas litteras scripserit: verumtamen paginâ 83. exhibetur lacinia alterius Epistolæ ejusdem Pauli Valloni, sub die 21. Decembris 1686. *La lettre de M. van Heussen, que je me suis determiné de rendre en la maniere que je vous l'ai mar-*

qué, n'a pas encore levé toutes les difficultez. Atque ita *Huſſius* ſpe ſuâ cecidit.

Hic vir hic eſt, qui currenti anno Delphis tamquam Anteſignanus ſignavit proteſtationem contra Cenſuras Eccleſiaſticas, per ipſum & varios ſimiles Proteſtantes incurſas.

Hic vir hic eſt etiam, qui in ſupradicta Epiſtola de 7. Februarii 1707. ſcripſit: *At ſingulariter in Auguſtinianum Monachum tormentis bellicis explodendum eſt.* Numquid hæc omnia ſine Congregationibus? Credite poſteri.

CONCORDANTIA XVI.

De Amicis.

In Libro Congregationum, omnes, qui eis interfuiſſe dicuntur, ſemper ex profeſſo vocantur Amici. *Omnis Congregatio incipit:* Convenerunt Amici, *item*, convènit Amicorum major & ſanior pars, & *aliquando dicitur*: Convenerunt omnes Amici; *item in Congregatione de* 18. *Iulii*: Dignetur ſcribere Amicis in aliis Civitatibus degentibus, ut ipſi pariter Catalogum conficiant. *Et in Epiſtola de* 13. *Ianuarii ad Dominum Krys ſcribit aſſertus Z.B.V.E.* idem ſperans de te, & de omnibus aliis Amicis in Hollandia.

Similiter D. Graſper in Epiſtola ad Dominum Krys de die 16 *Februarii* 1707. *ſcribit:* Quomodò valet noſter Prauwelius, Vivitnè? Apprecor ipſi bonam valetudinem, vobisque cum omnibus Amicis omnia proſpera.

In Epiſtola ejuſdem Graſper de eadem 16. *Februarii ad Petrum Joſephum Boede, & in altera ibidem ad Meindert Boede, qui, ùt apparet, non habent partem in negotiis, nomen Amicorum nullibi comparet.*

Rursùs in Epiſtola ſignata M. de 9. *Feb.* 1707. *iterùm inveniuntur Amici, & in alia Epiſtola ejuſdem datæ ſignatâ Finiol:* Facies bonum opus, in hac ſpe manendo poſt cordialem ſalutationem Amicis.

Item D. Graſper in Epiſtola de 20. *Feb. ad Dominum de Graef*

ſcribit : Boni Amici hîc ſummè ſunt ædificati, quòd tu cum aliis in hac nova tempeſtate non patiaris puppim extorqueri manibus.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XVI.

NIhil familiarius in Epiſtolis, quàm ſalutare *Amicos* & *Amicos* appellare homines notos: ſed nihil ſtultius, quàm hinc colligere Concordantiam Epiſtolarum Domini Graſper cum Libro Reſolutionum, in quo ſimiliter de Amicis fit mentio.

Rursùs interim pro more ſuo inſigniter imponit Reus hoc ipſo articulo dum ait: *In Epiſtola ejuſdem Graſper de eadem* 16. *Februarii ad Petrum Joſephum Boede, & in altera ibidem ad Meindert Boede, qui, ut apparet, non habent partem in negotiis, nomen* Amicorum *nullibi comparet:* cùm tamen ad calcem citatæ Epiſtolæ ad Petrum Joſephum Boede habeatur in terminis: *De groetenis aen alle vrienden.*

REFLEXIO CATHOLICA.

NOn ſatisfit difficultati, quæ in eo ſita eſt, quòd utrobique ſeſe mutuò modo aliquo ſingulari vocitent Amicos in negotiis, tamquam communibus, communi marte perficiendis. Legatur porrò Epiſtola ad Petrum Joſephum Boede, ex circumſtantiis patebit, quòd agat illic de Amicis, id eſt, Conſanguineis, non de Amicis negotiorum. Verba ſunt: *Aen alle vrienden ende myne moeder, ende broederen.* Id eſt, *omnibus Amicis, & Matri meæ, & Fratribus.* Similiter in Epiſtola de 23. Febr. ad Nicolaum van Goor, tantummodò ſalutat uxorem, Illic enim etiam non agitur de notis negotiis. Voces *nihil ſtultius*, ad illos Janſeniſtarum Deos remittimus, qui, *quos perdere volunt, dementant*; voces autem, *pro more ſuo inſigniter imponit*, ad ipſos Janſeniſtas, qui, *quos perdere volunt, diffamant.*

CONCORDANTIA XVII.

De continua exhortatione ad concordiam & fortitudinem, & injiciendum inimicis terrorem.

In Libro Congregationum continuè repetitur illud, quòd in Congregatione de 11. *Auguſti habetur*: Iterùm reſolutum fuit unanimes permanere, & à ſe mutuò numquam deficere,

Et in Congregatione de 7. *Octobris*: Prælectæ ſunt litteræ ex

Hollandia à Reverendo Domino Krys, quibus indicatur, ſi unanimiter pugnemus contra noſtros hoſtes, nos certò futuros dominatores. Et reſolutum eſt, reſpondendum eſſe, nos ſemper pugnaturos acriter cum hoſtibus noſtris, & nos bella eſſe indicturos eorum fautoribus.

Et in Epiſtola ſignata Z. B V. E. de 13. *Ianuarii ad Dominum Krys, dicitur:* Undè poteris colligere magnam concordiam noſtrorum omnium, magnumque amorem, & affectum, quem erga nos mutuò gerimus.

In Epiſtola autem Domini Graſper de 16. *Februarii ad eundem Dominum Krys ſcribitur:* D. Opſtraet repetit mecum gratitudinem ſuam debitam, & rogat vos omnes ſimul, quemadmodum etiam benè intentionati, ut quàm generosè incœptum eſt, procedatur.

Et Epiſtola Hollandica de 7. *Februarii litteris Domini Graſper incluſa, quæ incipit*, de memorien en brieven, *id eſt*, memorias & litteras, *dicit*: Ædificatus ſum in te, & conſodalibus tuis, ſcilicet circa negotium veſtræ concordiæ & fortitudinis.

Et præfatus D. Graſper in Epiſtola de 20. *Februarii ad dictum Dominum Krys*: Platearius .... me requiſivit, quatenùs vellem ſcribere, ut omnes Domini prorsùs in eadem fortitudine velint perſeverare.

Difficile eſt intellectu, quomodò Amici in cauſis communibus tam arctè ſint Lovanii, & in Hollandia uniti, & pugnent communi marte, abſque pluribus congreſſibus, ſeu Congregationibus.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XVII.

De continua exhortatione ad concordiam & fortitudinem, & injiciendum inimicis terrorem.

MAnifeſtum erat in litteris Domini Graſper, exhortationes tantùm dirigi ad fortiter tuenda jura Cleri Hollandici, & bonum iſtius Eccleſiæ; in Libro autem Reſolutionum exhortationes tendunt ad tuenda impia Formularia contra

Religionem & Statum: proinde nullam, niſi fide peſſimâ, in iis fingere poterat Concordantiam. Sed numquid potiori jure Concordantia ſtatui poſſet inter dictum Librum Reſolutionum & Epiſtolas Rei ſcriptas ad Reverendum Patrem Leopoldum à Sancta Thereſia; in quibus dictum Patrem *ad fortitudinem* hortatur, idque ad promovendum iniquitatis ſuæ myſterium?

REFLEXIO CATHOLICA.

MAnifeſtum eſt, in litteris Henrici Graſper agi contra Pontificem, Miniſtros Apoſtolicos, Vicarium Hollandiæ Adamum Damen, & alios; nullumque articulum in famoſis Formulariis reperiri, qui in illis litteris non mandetur executioni. Si ergò Formularia hæc, ipſis verè impia ſunt; cur exequuntur? Deridicula eſt autem ſimilitudo collocata in eo, quòd P. Deſirant Reverendo Patri Leopoldo ſcripſerit, *ſis forti animo*. Inde enim nullatenùs poteſt erui id, quod Adverſariis in præſenti Concordantia meritò objicitur: *Difficile eſt intellectu, quomodò Amici in cauſis communibus tam arctè ſint Lovanii & in Hollandia uniti, & pugnent communi marte abſque pluribus congreſſibus & Congregationibus.* Præterea P. Deſirant ad Patrem Leopoldum non ſcripſit ſimpliciter, *ſis forti animo*, ſed cum addito, *ſis forti & ſincero animo*. Fortitudinem in Adverſariis videmus communem; ſinceritatem requirimus. Hoc myſterium iniquitatis.

CONCORDANTIA XVIII.

De ſignaturis Epiſtolarum per ſolas primas litteras nominis & cognominis.

In Congregatione de 15. *Auguſti* 1706. *habetur: quòd propoſitum fuerit*, quale medium poſſit adhiberi, nè Epiſtolæ Amicorum ad ſe mutuò ſcribentium intercipiantur, & nè poſteà inde poſſint oriri difficultates. Et reſolutum eſt fingi debere ſigna, vel tantùm debere ſcribi ſemper primas litteras ſuorum nominum.

Epiſtola hollandica de 9. *Februarii ſignata eſt M. Secunda Epiſtola hollandica ejuſdem datæ finitur per has litteras H. Tr.*

Item Epiſtola ejuſdem Graſper de 20. *Februarii ad Dominum Krys non eſt ſignata.*

Item ejuſdem Domini Graſper Epiſtola de 20. *Feb. ad Dominum de Graef ſignata eſt. H. G.*

Item Epiſtola ejuſdem Graſper de 23. *Feb. ad eundem Dominum Krys non eſt ſignata.*

Denique ultima Epiſtola de 23. *Feb. ad Dominum Hieronymum de Boeck ſignata eſt H. G.*

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XVIII.

De ſignaturis Epiſtolarum per ſolas primas litteras nominis & cognominis.

IN litteris Domini Graſper nulla ſignatura eſt ſimilis iis ſignaturis, quæ præſcribuntur in Libro Reſolutionum: undè nulla prorsùs inter litteras Domini Graſper & Librum Reſolutionum Concordantia eſt. Quod verò hîc citat Reus ex Congregatione de decima-quinta Auguſti 1706. ſignari oportere per primas litteras tantùm, id in poſterioribus Congregationibus jam pridem mutatum erat, quando in Februario 1707. ſcribebat Dominus Graſper; conſtitutumque ſcilicet, ut impoſterum ſignaretur per ficta nomina & ſigna.

REFLEXIO CATHOLICA.

FUerat mutatum in Brabantia, non in Hollandia. Et Liber Reſolutionum detectus fuerat in Januario 1707. antequam Hollandis communicaretur; adeoque dum in Hollandiam ſcribebatur in Februario, fuiſſet maximè inconſultum, uti ſignis & nominibus in illo determinatis. D. Graſper prudentiùs egit.

CONCORDANTIA XIX.

De fictis nominibus.

In Congregatione de 2. *Januarii* 1707. *texitur Catalogus nominum fictorum, & concluditur*, deinde ulteriùs reſolutum, copias eſſe mittendas hujus novi Formularis ad omnes Amicos, ut omnia benè noverint, & rogandum eſſe, ut quiſque ſuum characterem variet, & mutari faciat.

D. Graſper in Epiſtola de 16. *Feb. ad Dominum Krys ponit quemdam* Kromneus.

Item ibidem Doctores, *cùm tamen ex circumſtantiis pateat, quòd ii, de quibus loquitur, polleant altiſſimâ poteſtate.*

Item in Epiſtola hollandica de 9. *Februarii, quæ eſt ſignata M. ponitur quidam* R. P.
Item Hortulanus.
Item Inſulenſis, *qui veroſimiliter eſt Dominus Adamus Damen.*
Item Felinus, *veroſimiliter Dominus Cats Ultrajectinus.*
Item in alia Epiſtola hollandica de 7. *Feb.* Baſs.
Item ibidem Muſius.
Item Hofſtadt, *veroſimiliter* Haga-Comitis.
Item Corv.
Et in tertia Epiſtola pariter hollandica de 9. *Febr. iterùm ponitur* Muſius.
Et iterùm Hortulanus.
Et ſignatur Finiol.
Item D. Graſper in Epiſtola de 20. *Feb. ad Dominum Krys habet* Roliers, *veroſimiliter Jeſuitas, juxta ipſorum antiquam Clavem.*
Item ibidem, Platearius, *veroſimiliter D. Opſtraet.*
Item ibidem, den Bruſſelaer, *veroſimiliter Dominus vanden Neſſe, quantùm ex circumſtantiis colligi poteſt. Atque hæc in ſolis Epiſtolis dierum* 16. 20. & 23. *Februarii ejuſdem anni* 1707. *Quid ſi detegerentur reliquæ? Res hæc non eſt deſperata.*

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XIX.

De fictis nominibus.

Fictis nominibus uti, in Epiſtolis omnibus familiare eſt: undè peſſimè ex eo colligitur Concordantia Epiſtolarum cum Libro Reſolutionum, qui ſimiliter fictis nominibus utitur.

Ut ſummum aliqua ſpecies conſequentiæ eſſet tunc, cùm eadem ficta nomina utrobique occurrerent: jam verò cùm nomina ficta in litteris Domini Graſper omninò diverſa ſint à nominibus fictis Libri Reſolutionum, omninò etiam ſequitur, Reum fide peſſimâ inde Concordantiam finxiſſe.

REFLEXIO CATHOLICA.

SOlis Sectariis, novam Sectam molientibus, familiare est, fictis nominibus uti ex professo, dum se mutuò exhortantur ad exequenda communia consilia, in novæ Sectæ promotionem. Quòd unus & alter Amicus inter se fictis nominibus utatur secreti causâ, culpâ vacat. Sed quòd integra aliqua colligatio præstet hoc per integros Catalogos, conspirationem sapit.

Non poterant autem Hollandorum ficta nomina tunc cum Brabanticis convenire, quia sciebant copiam Libri Resolutionum Brabanticarum detectam fuisse. Deinde Liber Resolutionum Brabanticarum expressis terminis sanciverat, ut Amici in aliis Civitatibus constituti utterentur Catalogo proprio. Verba sunt: *Ut dignetur scribere Amicis in aliis Civitatibus, ut ipsi pariter Catalogum conficiant.* Congr. de 15. Augusti 1706.

CONCORDANTIA XX.

De Domino Cinc.

Nomen Domini Cinc aliquoties ponitur in Libro Resolutionum, prout patet ex Congregatione de 15. Augusti 1706. & alia de 2. Januarii 1707..

Dominus Grasper Epistolam de 23. Februarii ejusdem anni ad Dominum Krys incipit: Epistola vestra ad Dominum Cinc data inquietat me magis, quàm te: quia memoriæ & aliæ litteræ inibi missæ fuerunt.

Epistola ejusdem Domini Grasper de eadem data in fine dicit: In cubiculo Cinc cum magna festinatione 23. Feb. 1707.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XX.

De Domino Cinc.

PEssimâ fide, ut jam sæpiùs dictum est, & pejori consequentiâ sic argumentatur Reus: Litteræ Domini Grasper mentionem faciunt de Domino Cinc, & Liber Resolutionum mentionem facit de Domino Cinc, ergò litteræ Domini Grasper & Liber Resolutionum concordant.

RE-

REFLEXIO CATHOLICA.

NOn quia litteræ Domini Graſper de Domino Cinc mentionem faciunt, ſed quia talem mentionem, ut detegant, lamentatorias à D. Ignatio Krys in præſentibus negotiis ad D. Cinc datas fuiſſe: *Epiſtola veſtra ad D. Cinc data inquietat me magis, quàm te: quia memoriæ & aliæ litteræ inibi miſſæ fuerunt*, inquiunt.

CONCORDANTIA XXI.

Excedentia & exceſſus.

In Libro Reſolutionum, & binis litteris ſignatis Z. B. V. E de diebus 10. *&* 13. *Januarii nihil ulteriùs habetur, quàm. Cauſa Domini du Cellier, & Domini Gerberon, & Patris Queſnelli, & Doctoris van Eſpen contra ſtrictum Collegium Facultatum utriuſque Juris. De iis ſolis nihil in litteris Domini Graſper continetur, niſi forſan terminis generalibus, ubi repetit, quòd* omnes cauſæ ſint in eodem ſtatu, *& quòd* cum adventu Deputatorum ſperetur bonus ſucceſſus omnium.

Et quidem de prætenſione ſeu de tentanda reſumptione litis præfati Domini du Cellier, nihil audiveramus, niſi ex Libro Reſolutionum, qui in manus incidit die 27. *Januarii. Sed notabili tempore pòſt intellectum eſt, quòd quærerentur Acta originalia in hunc finem, quæ non fuerunt inventa.*

Econtrà in Libro Reſolutionum, & binis litteris Z. B. V. E. ſignatis, nihil habetur de ſtudioſa voluntate obtinendi effigiem, ſeu imaginem Doctoris Huygens, de qua ſcribit Dominus Graſper in litteris de 16. *Febr. ad Dominum Krys.* Effigies Huygenii eſt quidem, ſed non copiosè invenibilis, nulli parcam labori, ubi taliter à te tam multis partibus honoror.

Nihil etiam in Libro Reſolutionum explicitè habetur de Jeſuitis, qui in litteris Domini Graſper ſæpiùs durè & dirè va-

pulant, & inter alia per ſatyram bis Domini Graſper manu ſcriptam, & ad diverſos miſſam, ſequentis tenoris : Kyriacus Confutiſtæ *&c. Vide ſuprà ad Concordantiam octavam.*

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad §. XXI.

Excedentia & exceſſa.

HIc plura recenſet ipſe Reus, quæ continentur in litteris Domini Graſper, & non in Libro Reſolutionum, aut litteris annexis, & viciſſim plura, quæ continentur in his, & non iſtis: proinde ſe ipſum hîc de mala fide convincit, debetque fateri, Concordantiam, quam fecit, veram non eſſe, ſed fictam.

REFLEXIO CATHOLICA.

QUaſi verò ad ſtabiliendam Concordantiam non ſufficiant articuli tot, & tanti, & quidem, ut vidimus, viginti, in quibus ambo ſcripta conveniunt, neque ſatis ſit admonuiſſe, quòd reliqui in iiſdem utrimque comprehendantur, *terminis generalibus*, V. G. ubi dicitur in Epiſtola Graſper de die 20. Januarii : *Omnes cauſæ ſtant hîc etiamnum in eadem altitudine, cum adventu Deputatorum exſpectatur mutatio, & ſperatur fore, ut omnia novam faciem acceptura ſint.* Qui ergò bonâ fide agunt, debent fateri, Concordantiam eſſe veram, & utraque ſcripta confirmare ſe mutuò, ferè ſicut Evangelia verè concordare dicuntur, licèt hinc & inde in uno habeantur aliqua, quæ in alio non reperiuntur.

Nè verò Lector autumet, excedentia illa & exceſſa levioris momenti eſſe, unum ſubjicimus.

Ex litteris Henrici Graſper colligimus, quòd Amici in Hollandia conſtituti, Amicis Lovanienſibus ſpem fecerant expellendorum Jeſuitarum. Sic inter alia ſcribit Anonymus M. in Epiſtola, quæ 9. Feb. 1707. data fuit in Hollandia, & per Jacobum Krys Lovanium ad Henricum Graſper miſſa : *Jeſuitæ Roterodami admiſſo officium jam interdictum eſt. Similiter Heine apud Gaudam.* Quòdque id approbent, patet ex ſequentibus : *Civitas tua, ſi hæc exempla ſequatur, Inſulenſis* (id eſt, Vicarius Apoſtolicus D. Damen, contra quem præcipuè agebant) *nonnihil animum demiſſurus eſt.* At verò Henrico Graſper & Amico Lovanienſi Provincia Hollandiæ non ſufficiebat, atque idcircò die 16. Februarii 1707. Lovanio Amſtelodamum ad D. Jacobum Krys ſcribit, *P. S. Amicus tibi benè notus requirit, quatenùs, ſi quidquam in Statu concludi poſſet, placeat exequi, ut Jeſuitæ in Sylva-Ducis poſſint inde ſuam partem habere.* Eant nunc, & pernegent, ſe

in expellendis Religiosis Missionariis non interveniſſe, ubi per Concordantiam ſuorum ſcriptorum convincuntur, & ſubſecuti effectus conveniunt. Cur autem nihil reſpondent ad infamem *Kyriacum Conſutiſtæ*?

INTERROGATORIA.

POſt Concordantiam exhibuerat P. Deſirant Interrogatoria ex præfatis Henrici Graſper litteris formata, quæ brevitatis causâ hîc omittuntur, tamquam minùs neceſſaria, cùm ſatis ſuperque in iis quæ dicta ſunt hactenùs, contineantur.

RESPONSIO D. H. MALCORPS ad Interrogatoria.

SPeraverat Reus per hanc ſuam commentitiam Concordantiam & Interrogatoriorum farraginem, quam ſubnectit, pulverem oculis offundere, & divertere Judicem à cauſa principali, & hiſce ſuis figmentis deludere, ſeſeque ex Reo Actorem facere: ſed ubi jam conſtabat, Librum Reſolutionum cum annexis Epiſtolis confictum eſſe; ſtultum fuiſſet, illius Concordantiam cum Epiſtolis Domini Graſper examinare, quam ſimiliter fictam eſſe oportebat.

REFLEXIO CATHOLICA.

JUdica, Lector Catholice, an Concordantia non ſit vera, & an ex veritate agnita litterarum Henrici Graſper, non rectè illata fuerit veritas anteriorum. Nota etiam, quàm debili fundamento proceſſerint, Concordantiam non examinando; etſi enim anteriora ficta fuiſſent, non deſinebant ideo Graſperiana eſſe peſſima. Habemus interim novam, eamque altæ menti recondendam confeſſionem, quòd Concordantia examinata non fuerit. *Stultum fuiſſet, illius Concordantiam cum Epiſtolis Domini Graſper examinare*, inquiunt. Ex quo ſequitur, quòd non ſolùm Doctor van Eſpen, ſivè *Frater Antoninus*, qui per ſolemnem depoſitionem juratam reus actus fuerat, juſſus fuerit ſupponi innocens ſine diſcuſſione; verùm etiam quòd accuſatæ litteræ Henrici Graſper abſolutæ fuerint ſine examine. Hæc illorum integritas, hæc innocentia, hæc ſimplicitas Chriſtiana.

CAPUT NONUM.

De Ianſeniſtarum Congregationibus aliis, in Belgio Regio detectis.

NEmo magis ſentit vulnera, quàm vulneratus. Si quempiam tetigeris, ubi non dolet; ſenſu placido ſuſtinebit. Si verò amplexatus fueris laborantem, tum etiam oſculum pacis membra offenſa lædet. Nemo, ùt dixi, magis ſentit vulnera, quàm vulneratus.

Nihil Janſeniſtas pungit acriùs, quàm commemoratio *Congregationum.* Quòdque deridiculum puto, *Viſitationes* agnoſcunt, admittunt *Collationes*, *Congregationum* verò nomen faſtidiunt. Quid turpius, quàm litigare de nomine, ubi conſtat de re? Niſi ergò illud quod *Viſitationes* vocant, & *Congregationes* negant, ſpeciem quidem pietatis referat, in quantùm effert officium amicitiæ ſeſe mutuò inviſentium, certam verò iniquitatis præſumptionem, quatenùs funeſta conſilia reſpicit, quæ occaſione iſtarum viſitationum ex condicto volvuntur; quis intelligat, quòd qui rem ipſam ſine dolore coguntur admittere, tantos doloris geſtus exprimant, dum *Congregationum* nomen audiunt? Si caſta ſunt omnia, quæ illic geruntur, ſi tuta, ſi pia; quid tergiverſantur, quid trepidant, quid formidant? Geruntur enim.

Teſtis *Cauſa Queſnellana* paginis 262. 263. 264. 265. 266. & 267. ubi non phantaſmatum aut umbrarum, ſed virorum maximè ſpectabilium (*ſpectabiles* ſe nuncupant) conventicula deteguntur. Deteguntur nè? Imò etiam detecta proſcribuntur.

En Decretum Archiepiſcopi Cameracenſis, quo, ad ſopiendas difficultates, per Belgii Provinciam, quam vocamus Hannoniam, ſuſcitatas, die 3. Octobris 1690. injungit: *Nous ordonnons aux Curez de tenir la main à ce que, conformément à nos défenſes anterieures, l'on ne tienne point dans leurs Paroiſſes aucune* ASSEMBLE'E *extraordinaire, dite Conventicule.* Cauſa Queſnelliana pag. 262.

En Decretum Vicariorum Generalium Diœceſis Tornacenſis de die 20. Maii 1692. *Les Vicaires Generaux du Siége Epiſcopal de Tournai vacant, à tous Doïens de Chrétienté du Dioceſe, ſalut. Nous apprenons avec douleur, que quelques Eccleſiaſtiques qui ſont ſuſpects de favorifer la Doctrine de* JANSENIUS, *quoi qu'elle ait été condamnée & défenduë, font des* ASSEMBLE'ES *particuliéres ſans notre participation, & aveu. Et comme Sa Majeſté nous a ordonné de veiller dorenavant ſur leur conduite, & que d'ailleurs ces* ASSEMBLE'ES *ſont*

illicites selon le Droit Canon & Civil, & les Edits des Princes; nous vous ordonnons d'empécher telles ASSEMBLE'ES *chacun en votre District, de ne permettre qu'on en fasse à l'avenir, & de nous avertir sans delay, quand on en aura fait: Nous défendons à tous Curez du Dioceſe, & autres Eccleſiaſtiques à nous ſujets, de ne pas faire, ni entrevenir dans de ſemblables* ASSEMBLE'ES, *ſous peine d'encourir la ſuſpenſion* A DIVINIS IPSO FACTO. *Et afin que perſonne ne prétexte ignorance, nous vous envoions des Imprimés de cette Ordonnance pour vous, & pour chacun Curé de votre Diſtrict; afin de les faire diſtribuer à un chacun. Fait au Vicariat de Tournai le vingt de Mai* 1692. *Par Ordonnance de meſſieurs les Vicaires Generaux ſuſdits. J. B. du Pret Secret.* Ibid. pag. 262. & 263.

Similes Congregationes habitas, detectas, atque fugatas fuiſſe in Diœceſi Gandavenſi, patet ex relatione Comitis de Liberchies Gubernatoris Aldenardenſis, qui anno 1691. in menſe Januario perquiſitiones fecit, & ad ædes Paſtorales pagi *de Augem* [in quibus delituerat D. Ægidius de Witte, quondam Decanus & Paſtor Eccleſiæ Divæ Virginis Mechliniæ] miſit Capitaneum Dominum *Du Mont*, qui inter alia retro ſpeculum quoddam invenit famoſam Clavem Aldenardenſem, de qua ſuprà egimus Capite primo.

En relationem præfati Catholici Comitis : *Je ſerai dans l'Hiſtoire des Janſeniſtes: Comme ils ſe mêlent de toute choſe, dans la pensée qu'ils tramoient quelque choſe contre ma place par leurs* ASSEMBLE'ES *& Cabales chez les Curé & Doïen d'Augem, j'ai envoié enlever tous leurs écrits & papiers. Je n'ai rien trouvé contre l'Etat, mais beaucoup contre la foi de notre Religion.* Ibid. pag. 263.

Præfatum Capitaneum Du Mont, virum oppidò Catholicum, & poſteà pro meritis ad altiora provectum, hanc ex dicti Comitis commiſſione executionem feciſſe, mihi pluries coram variis retulit. Eſt frater germanus Reverendiſſimi Domini *Du Mont*, Canonicorum Regularium Congregationis Windeſemenſis ſecundò Generalis digniſſimi, quem honoris causâ nomino.

Congregationes varias celebratas fuiſſe Bruxellis & alibi, aliundè colligimus. Ad rem præſentem ſufficit, referre illam quam anno 1694. tenuerunt Bruxellis ex condicto, occaſione Brevis Apoſtolici, ab Innocentio XII. glorioſæ memoriæ, in menſe Februario per *Patrem Deſirant*, tamquam Epiſcoporum Belgii, nec non majoris & ſanioris partis Univerſitatis Lovanienſis deputatum, circa Formularii Alexandri VII. introductionem procurati. Ut hujus Congregationis momenta clariùs intelligantur, breviter recenſebimus occaſionem ejus.

Pater Deſirant anno 1693. ſcripturam exhibuerat, à ſe ſolo compoſitam, prout vel ex ſtili æqualitate conſtat. Fuit hæc communicata Adverſariis, Romæ ex non una Natione adunatis. Fuit hæc illis viſa tam potens, ut ad reſpondendum ei, Flandrorum aliorumque præſidia & auxilia imploranda eſſe crediderint. Teſtis *Theodorus du Vaucel*, qui ſub ficto *Pauli Valloni* nomine, Archiepiſcopi *Sebaſteni* Procurator erat. En Epiſtolam ejus deſuper die 24. Januarii 1694 ad *Antonium Arnaldum* datam. *Il ſera important que les Mayeurs* (Lovanienſes) *y faſſent une réponſe en forme par la plume de* M. l'Ecuier (*D. Opſtratii*, juxta clavem) *à quoi vous* [D. Arnalde] *& M. Defreſne* [Queſnellus] *les pourrez aider.* Cauſa Queſnelliana pag. 68.

Reſponſum hoc compoſitum, & in urbem miſſum fuit. En rursùs verba ejuſdem *Pauli Valloni*, ſub die 7. Martii ejuſdem anni 1693. *On tiendra le Lundi ou le Mardi de la ſemaine ſainte une Congregation extraordinaire du S. Office ſur l'affaire du Formulaire, après qu'on aura le temps d'examiner* LA RE'PONSE AUX ECRITS DU P. MULARD (ita ficto nomine appellabant Patrem *Deſirant*, juxta Clavim ſuam) *Dieu veuille qu'on y revoque la determination qui avoit été priſe de confirmer par une nouvelle Bulle tout ce qui a été fait juſqu'ici contre Janſenius, & d'autoriſer l'introduction du Formulaire pur & ſimple. Nous ævons ſçu qu'il n'y eut que 3. Cardinaux qui n'adherent point à cette determination.* Ibid. pag. 68.

Erravit autem *Paulus Valloni*: peremptoria enim illa Congregatio celebrata fuit circa initium menſis Junii, & *P. Deſirant* prævaluit. Definitum fuit, condendum eſſe Decretum, & Breve ad Epiſcopos Belgii, quibus extendendis laboratum fuit uſque ad menſem Februarii, anni ſubſequentis 1694. quando utrumque emanavit.

Conturbabantur Conſtantinopolitani
Innumerabilibus ſollicitudinibus.

Teſtis, idem Paulus Valloni in Epiſtola, quam Romæ dedit die 6. Februarii 1694 ad Antonium Arnaldum. *Nous ne ſommes pas peu mortifez d'un Decret, qui a été affiché ces jours paſſez, & dont* M. DU TIL (Hennebellus) *envoie une copie ..... toute cette conduite de l'Inquiſition & de la Cour de Rome fait pitié.* Pag. 213. Item in alia Epiſtola ad eundem die 13. ejuſdem menſis data: *Les Brefs touchant le Formulaire ne valent pas mieux que le Decret ..... ce qu'il y a de mauvais eſt, qu'on autoriſe l'introduction du Formulaire en Flandre en obligeant de le ſigner ſans exception, ni explication in ſenſu obvio, quem ipſius verba exhibent.* Pag. 213. Et rursùs die 21. ejuſdem menſis ad eundem. *Vous aurez veu maintenant le Decret imprimé, & peut-être auſſi les deux Brefs. Plus je les relis, plus j'en ſuis mal ſatisfait par rapport ſur tout au Formulaire.*

Hiſce non obſtantibus Adverſarii ad fallacias converſi, in Romanis Congregationibus ſuis decreverunt fictam victoriam canere, & ut fatalem ictum à cervicibus ſuis amolirentur, induxerunt Doctorem *Hennebel*, ut ad Archiepiſcopum Mechlinienſem ſcriberet, eique, ſub ſpecie gratulationis, Cardinalium mentem circa Decretum & Brevia explicaret. Ita ſcilicet, ut priuſquam Epiſtola extraderetur, variis oſtenderetur, palam dicturis, quòd *Hennebellus* non eſſet auſurus talia ex Urbe ſcribere, niſi & certiſſimus, & tutiſſimus foret.

Audiendus hîc *Paulus Valloni* Patri *Paſchaſio Queſnello* ſcribens ſub die 20. Februarii 1694. ubi dicit : *J'ai travaillé toute cette matinée à mettre en état la lettre, que* M. DU TIL (Hennebel) *envoie pour* M. ARCADE (Archiepiſcopo Mechlinienſi.) *Il n'eut pas le tems de nous communiquer celle, qu'il envoia par le dernier courrier, où nous avons trouvé beaucoup de choſes à retrancher & a changer : comme il l'avoit envoiée ouverte, en la ſoumettant entierement au jugement des* MAIEURS [Lovanienſium Queſnello adhærentium] *nous nous tenons comme aſſurez, qu'ils ne l'auront pas renduë, & qu'ainſi elle y viendra encore à tems.* Pag. 212.

Manifeſtè agit de prædicta Doctoris Hennebelli Epiſtola, ad integerrimum Mechlinienſem Archiepiſcopum Romæ die 20. Februarii 1694. data, & tantummodò die quartâ ſubſequentis Junii extradita, in qua, plurima circa Formularii ſenſum apocrypha continebantur. Nec mirum: cùm ex præfatis Pauli Valloni litteris diſcamus, dictum Paulum Hennebellianæ Epiſtolæ appoſuiſſe manus. Scopus erat, tam Breve Apoſtolicum ſupradictum, quàm Decretum Pontificium eludere, & in ſenſum erroneum detorquere.

Doctor Hennebellus variis hanc Epiſtolam oſtenderat, è quibus unus ſtatim ad Patrem Deſirant venit, & quantùm memoria ferebat, rem aperuit.

Quarè Pater Deſirant ſtatim eâdem die 20. Februarii in Belgium litteras contrarias ſcripſit, & laudato Archiepiſcopo totum ſignificavit. Decretum viderat, fueratque ipſi prælectum Breve, ſed denegata copia, ut Epiſcopi primò Originale acciperent. Rogavit ut Archiepiſcopus memoratam Epiſtolam, ſtatim ut deſtinata foret, dignaretur ad ſe remittere: multùm enim valituram eſſe ad oſtendendum, quibuſnam artificiis Adverſarii mentem Pontificis, privatâ authoritate auderent per diſtortas interpretationes elidere.

Fuit autem dicta Hennebelli Epiſtola, priuſquam extraderetur, Lovanii diſcuſſa in Janſeniſtarum *Congregatione*, prout patet ex alia Pauli Valloni Epiſtola de 10. Aprilis ejuſdem anni, ad Patrem Queſnellum

datâ, ubi dicit : *Ce qui a arrêté les* MAIEURS (Lovanienſes) *dans* LEUR ASSEMBLE'E *de rendre la 2. lettre à* M. ARCADE [Archiepiſcopo Mechlinienſi] *n'étoit pas conſiderable. Mais* M. DU TIL (Hennebellus) *en a été bien aiſe par une autre conſideration, qui eſt, qu'il vaut mieux, que* M. ARCADE [Archiepiſcopus Mechlinienſis] *ne l'ait point euë avant que de faire réponſe au* R. P. PATRICE [Pontifici) *touchant le Bref.* Pag. 212.

Ex his verbis duo ſequuntur. Primum, quòd Lovanienſes Majorini circa famoſam Epiſtolam celebraverint ASSEMBLE'E, id eſt, CONGREGATIONEM. Multùm diùque Henricus Malcorps laborabit, ut hanc vocem ASSEMBLE'E, beneficio flandricæ vocis RONDE, perſuadeat, latinè vertendam eſſe per vocem CIRCUITUS. Multùm etiam laborabit FRATER ANTONINUS, ut credamus quòd Congregationis hujus non extiterit Coriphæus.

Secundum ſequitur, quòd diſtulerint dictæ Epiſtolæ extraditionem donec *Arcadius*, illuſtre Epiſcoporum decus, ad Romanum Pontificem ad Breve Apoſtolicum reſpondiſſet.

Cùm verò Epiſtola non deſtinaretur, Pater Deſirant in principio ſubſequentis Aprilis à ſuis reſponſum accepit, quòd malè informatus fuiſſet, & quòd *nimis credulus* eſſet: fieri enim non poſſe, ut talis ab Hennebello Epiſtola ſcriberetur. At verò Pater Deſirant replicavit, ſe certum eſſe. Egerat enim inſuper cum duobus Magiſtris Theologis, qui retulerant, quòd Doctor Hennebellus ipſis ſeorſim dictæ Epiſtolæ copiam prælegiſſet. Et licèt tres jam teſtes haberet tantummodò ſingulares; ita tamen in narratione convenerant, ut de veritate dubitandum non eſſet.

Fuit ergò præfata Epiſtola, Mechlinienſium Archiepiſcopo extradita die quartâ Junii, id eſt, tribus menſibus cum dimidio poſtquam ſcripta fuerat. Pater Deſirant copiam illius authenticam recepit circa finem ejuſdem menſis, eamque ſtatim denuntiavit ſancto Officio apud D. Aſſeſſorem *Bernini*, cunctosque ſacræ illius Congregationis Cardinales, & juſtitiam petiit. Nolebat dicere ſe non habere Originale. Nolebat etiam fingere, ſe illud habere. Ponebat in facto, copiam quam exhibebat, legitimam eſſe, & Originale, ſi ſcriptor negaret, producendum fore. Doctor verò *Hennebellus* agnovit.

Quænam fuerint Eminentiſſimorum Patrum deſuper judicia, ex ſequenti *Pauli Valloni* Epiſtola die 10. Julii ad Patrem *Queſnellum* datâ patebit. *Il ne faut que voir le vacarme qu'ils* (Eminentiſſimi Patres) *ont fait contre la lettre de* M. DU TIL (Hennebelli) *à* M. ARCADE (Archiepiſcopo Mechlinienſi) *que ce dernier leur a envoié auſſitôt qu'elle lui a été ren-*

renduë. M. FERRAND [Illustrissimus Assessor S. Officii] *envoia querir* M. DU TIL *Lundi après midi, & comme* M. DU TIL *eut reconnu la lettre pour sienne, il lui fit une reprehension tres-severe, quelque raison que* M. DU TIL *alleguast pour sa défense. On ne put pas le jour suivant mettre en état le memorial qu'on vouloit presenter. Ainsi* M. DU TIL *écrivit un billet à* M. FERRAND, *le suppliant, qu'on lui donnât du tems pour pouvoir fournir ses défenses.* M. FERRAND *fit réponse, qu'il ne pouvoit se dispenser de raporter l'affaire dans la Congregation du jour suivant, qu'il y parleroit neanmoins de son billet. Hier* M. DU TIL *étant retourné vers lui, il lui dit,* QUE TOUT D'UNE VOIX ON AVOIT CONDAMNE' SA CONDUITE, COMME CONTRAIRE AU DECRET, ET AUX ORDRES DE LA CONGREGATION, ET COMME PLEINE D'IMPRUDENCE. Pag. 213.

Secuta fuit Sententia, cui Doctor *Hennebellus* parendo, fecit declarationem, ùt sequitur. *Acta Romæ die* 14. *Septembris* 1694. *ab Eximio D. Joanne Liberto* HENNEBEL, *sacræ Theologiæ Doctore Lovaniensi, coram Sac. Congregatione Sancti Officii, prout habentur in ejus Regestis. Declaratio Joannis Liberti* HENNEBEL *circa Epistolam quamdam ad Reverendiss. D. Archiepiscopum Mechlinien sem scriptam, exhibitam S. Congregationi S. Officii, die* 14. *Septembris* 1694.

Ego infrascriptus, ex parte Sac. Congregationis S. Officii paternè commonitus, Epistolam, quam 27. *mensis Februarii proximè elapsi ad Reverendiss. D. Archiepiscopum Mechlinien sem scripsi, eidem Sac. Congregationi multùm displicuisse, utpotè quam Eminentissimi Patres* DECRETO AFOSTOLIGO *die sextâ ejusdem mensis emanato* CONTRARIAM ESSE *judicaverunt : Declaro per præsentes, quòd huic Sac. Congregationis de Epistola mea judicio, per omnia me submitto, improbans quidquid Eminentissimi Patres in præfata Epistola mea improbandum censuerunt. Epistolam verò ipsam scripsisse multùm doleo; neque me imposterùm simile quid facturum, sed Decretum Apostolicum, præscriptumque in eo silentium inviolabiliter observaturum promitto, hoc unum in præsentiarum Eminentissimos Dominos rogans humillimè, ut mihi culpam ingenuè agnoscenti, ac emendare spondenti pro sua benignitate ac paterna pietate ignoscere, ac veniam dare dignentur. Romæ die* 14. *Septembris* 1694. Et signatum erat, *Joannes Libertus* HENNEBEL. Pag. 211.

Tam ex præfatæ Pauli Valloni Epistolæ tenore, *que tout d'une voix on avoit condamné sa conduite, comme contraire aux Decrets, & aux Ordres de la Congregation, & comme pleine d'imprudence*, quàm ex ipsa Doctoris Hennebelli declaratione constat, quòd non solùm tractum silentium, prout Adversarii posteà spargere perperam ausi fuerunt, verùm etiam

ipſum Epiſtolæ contentum Cardinales improbaverint. Fuit tamen forſan *Paulus Valloni* in culpa magis, quàm Doctor *Hennebellus*. *Paulus* enim laboraverat, *à mettre en état la lettre*. Quin etiam Epiſtolæ ſecundæ operam collocaverat ſuam. Scriptæ enim fuerunt diverſis diebus, quarum unica deſtinata extitit. Et hinc cognoſcitur, quarè ſuprà Hennebelli Epiſtola aliquando data dicatur 20. Februarii, aliquando 27.

Fiebant autem iſta ad condendam conſcientiam erroneam, juxta quam aliqui Formulario ſubſcripturi eſſent tamquam victores, cùm tamen in corde ſuo noviſſent Epiſcopos triumphaſſe.

Iterùm teſtem adduco *Paulum Valloni* in ſua Epiſtola ad D. *Erneſtum Rudt'ans* die 20. Martii data : *Nous attendrons le reſultat de la Conference, qui ſe devoit tenir à Bruxelles, après qu'on auroit vû les Brefs. Je conte que le Sr.* ARCADE (Archiepiſcopus Mechlinienſis) LE CHAMPION [Doctor Steyaert Vicarius Sylvæ-Ducenſis] *& leurs Adherens* EN TRIOMPHERONT, *à cauſe qu'on y ordonne la ſignature pure & ſimple du Formulaire.*

Ecce rursùs Janſeniſtarum *Congregationem* Bruxellenſem, in verbis, *la Conference, qui ſe devoit tenir à Bruxelles.*

Quòd Janſeniſtæ in conſcientia ſua noverint, ſe causâ cecidiſſe, oſtendimus ſuprà ex ejuſdem Pauli Valloni Epiſtola ad Arnaldum die 6. Februarii ejuſdem anni datâ : *Nous ne ſommes pas peu mortifiés d'un Decret, qui a été affiché ces jours paſsés, & dont M.* DU TIL [Doctor Hennebel] *envoie une copie.*

Inſuper ex alia Epiſtola ejuſdem ad eundem de die 13. ejuſdem menſis : *Les Brefs touchant le Formulaire ne valent pas mieux que le Decret..... ce qu'il y a de mauvais eſt, qu'on autoriſe l'introduction du Formulaire en Flandre en obligeant de le ſigner ſans exception, ni explication, in ſenſu obvio, quem ipſius verba exhibent.*

Denique ex alia ejuſdem Epiſtola ad eundem Arnaldum de 20. Martii : *Je ne ſuis point ſurpris de la conſternation où vous étes du Decret touchant la ſignature du Formulaire, in ſenſu obvio,* &c. *ce ſera encore bien pis, quand vous aurez vû les Brefs.*

Cavillationibus tamen ſuis, fictisque clamoribus obtinuerunt, ut Pater Deſirant laborare debuerit, ad obtinendum ſecundum Breve, die 24. Novembris 1696. expeditum.

Nec hoc ſuffecit ; quippè cùm ad retundenda cuncta malignantium effugia, Sanctiſſimus Pontifex CLEMENS XI. per Conſtitutionem, quæ incipit, *Vineam Domini Sabaoth*, ulteriùs proviſum eſſe voluerit.

Tandemque Patre *Deſirant* iterùm in exilium acto, Doctor *Hennebel-*

lus Alexandri VII. Formularium, juxta præfatam CLEMENTIS XI. Conſtitutionem ſignavit, atque juravit; & hoc mediante exulantis locum in ſtricto ſacræ Facultatis Collegio obtinuit, conſentientibus Collegis, pro quibus Pater *Deſirant* tam generosè certaverat, pro quibus viceRat, qui ſolus perdidit, dum Adverſariorum odia atque perſecutiones in infauſtum caput ſuum contraxit.

Cùm verò potiſſima præſentis capitis cauſa in probandis Janſeniſtarum in Brabantia Congregationibus verſetur; juvat de primo Patris Deſirant exilio, per Janſeniſtas anno 1701. in menſe Auguſti, apud Gallos impetrato, verba facere. Nolo fuſiùs meminiſſe, qualiter idem Advocatus Fiſcalis *Ampliſſimus D. Charliers*, famoſi Eccleſiæ Divæ Catharinæ Bruxellis Deſervitoris cognatus germanus, Actor fuerit. Sufficit oſtendere, criminationem ex communi Adverſantium conſilio fabricatam fuiſſe. Teſtis *Jacobus Krys* in Epiſtola quam circa menſem Septembris 1701. ad Erneſtum Rudt'ans ex urbe Romana ſcripſit: *J'eſpere que le Mulard* (Ex. P. *Deſirant*) *devra decamper*.

Fuit ergò hæc Epiſtola ſcripta, priuſquàm *Jacobus Krys* [nuper juſtiſſimo Dei & Romani Pontificis judicio, cum triginta quatuor aliis, Sathanæ traditus] intellexiſſet exilium, quod præparabatur, & reverà die 19. Auguſti Auguſti executioni mandatum extitit. Parili modo ſciverunt iidem Adverſarii poſteà, anno 1707. novam apud alios criminationem inſtituentes, prædicere, atque jactare, Patrem *Deſirant* rursùs in exilium agendum eſſe, etiam antequam audiviſſent ullam ipſius defenſionem, quâ non obſtante iterùm in menſe Maio 1708., Actore præfato Domino *Charliers*, in exilium pulſus fuit.

O Vaticines præpotentes potiùs, quàm veridicos! quemadmodum enim S. AUGUSTINUS obſervat, Mathematici quò magis vera dicunt, eò magis in rerum contingentium poſteà futurarum prædictionibus vitandi ſunt: cùm etenim nulla exiſtat ars honeſta, per quam poſſint iſtas præſcire, præſumuntur eas didiciſſe ex dœmone, qui illis notificavit, quæ fuerat ipſe facturus. Ipſi ergò iteratum exilium procuraturi erant, & iteratò prædixerunt.

Quòd porrò Patrem Deſirant appellaverint LE MULARD, ex Clavi Queſnelliana conſtat pag. 326. Neque Pater Deſirant idcirco indignatur. Agnoſcit, nomen iſtud, LE MULARD, à Janſeniſtis tribui non potuiſſe opportuniùs, quàm *Patri Deſirant*. Is etenim MULARD dicitur, qui mulos in ordinem cogit, domat, frænatque nè recalcitrent. Non poteſt illi dedecus eſſe, ſed gloria, quòd quartam unius ſeculi partem impenderit, compeſcendo Adverſarios, qui nolunt intelligere quod

ſcriptum eſt, *nolite fieri ſicut equus & MULUS quibus non eſt intellectus.* Si mulum vocaſſent, indignè tuliſſet. Cùm verò appellaverint *le Mulard*; ſibi meritò gratulatur.

Tam funeſta verò extiterunt iſta primi exilii conſilia, ut etiam diſplicuerint defuncto Doctori *Lovino*, tamquam irregularitates, à Deo Optimo Maximoque, qui ſuos non deſerit, ordinariè caſtigatas. Teſtis Epiſtola Licentiati *Opſtraet* die 21. Auguſti, id eſt, biduo poſt exilii præfati executionem, ad ſupradictum *Erneſtum Rudt'ans* datâ: *Nous avons conſideré votre ſouſcrite de* FRERE ATANASE (Sanctæ Catharinæ Deſervitoris *Guilielmi Vanden Neſſe*, qui memorati Domini *Charliers* cognatus germanus eſt) *avec* M. RENARDI *qui eſt aſſez animé, mais qui commence de douter du courage de Monſieur* LOVINUS *hors un diſcours aſſez pitoiable, qu'il a tenu avec lui, diſant que toutes ces irregularitez n'ont jamais du ſuccez, & QUE DIEU LES PUNIT ORDINAIREMENT.* M. RENARDI *même y trouve auſſi des difficultez..... Nous attendrons Mr. le Curé* [dictum VANDEN NESSE] *pour les cinq heures aujourd'hui, & eſperons que Dieu donnera* UNE BONNE RESOLUTION.

Ex hac Epiſtola diſcimus, quòd Doctor quidem *Lovinus* nimis teneræ fuerit conſcientiæ, quàm ut approbaret tales irregularitates, *que Dieu punit ordinairement*, & quòd Catholicus Doctor *Renardi* habuerit pectus nimiùm inclytum, quàm ut in illis non reperiret *auſſi des difficultez*; verumtamen quòd *le Curé vanden Neſſe* expreſsé Lovanium conceſſerit, ut cum reliquis conferret ad concludendam *une bonne reſolution.* Ecce rurſùs *Congregationem* Lovanienſem. Quaſnam idem *vanden Neſſe* partes habuerit in procurando ſecundo exilio, in Apologia oſtenſum eſt.

Probatio Janſenianarum Congregationum peremptoria reſultat ex famoſa *Collatione*, ſivè Congregatione univerſali Mechlinienſi, die 12. Septembris ejuſdem anni celebratâ. Inventa fuit inter chartas Queſnellianas, tota ſcripta manu Licentiati *Opſtraet*, & eſt tenoris ſequentis:

COLLATIO *habita* 12. *Septembris* 1701. *Mechliniæ, cui interfuerunt DD. Mechlinienſes, Bruxellenſes & Lovanienſes.*

I. „ An ſuſcipiendum iter Pariſienſe? Reſolutum, adhuc differendum ex conſilio AMICI, cui ea in re credendum eſt.

II. „ Quid agendum Eximiis DD. LOVINO & RENARDI, ſi „ veniant iterata mandata à Sua Excellentia de admittendo ad Facul- „ tatem D. MARTIN? Reſolutum, non eſſe admittendum, ſed bis „ tervè reſcribendum cum reverentia, donec ab AMICIS BRUXEL- „ LENSIBUS moneantur obedire.

III. „ Item reſolutum fuit, ut Eximius D. LOVINUS, abſente

„ Patre HARNEY, convocet Facultatem, ut fiat reſcriptio adversùs
„ interdicta Aulæ, data contra Eximios HENNEBEL, SULLIVA-
„ NE, & CLAES, ad quod præcipuè duo elucidanda ſunt, 1. Diffi-
„ cultas circa tempus electionis. 2. Difficultas circa modum, oſtenden-
„ do quòd non fuerit irregularis, quæ duo prolixè deducuntur in libello
„ oblato Suæ EXCELLENTIÆ à Domino CLAES, ſed à Sua Ex-
„ cellentia non acceptato. Quibus addi poteſt tertium DE INCAPA-
„ CITATE D. MARTIN.

IV. „ Item reſolutum, abſente Patre HARNEY, implorandam
„ Univerſitatem ad ſuſcipiendam cauſam libertatis Facultatis Theologi-
„ cæ in eligendo.

V. „ Item fieri quantociùs debere ſuſpectationem Archiepiſcopi, ubi
„ inter cetera allegari poſſunt Theſes, quas apud Jeſuitas defendit:
„ Deinde quòd Theſium illarum doctrinam adhuc tenuerit jam Archie-
„ piſcopus, cùm pro illa varios libellos ſcribi permiſerit: Tertiò, quòd
„ Patrem DESIRANT fecerit ſuum Deputatum in Urbem: Quartò,
„ quòd doctrinam D. MARTIN approbaverit, &c.

VI. „ Item reſolutum eſt, accedendum eſſe D....qui nunc eſt Lo-
„ vanii, eique proponenda quæ ſequuntur. 1. ROMAM ſemper fa-
„ viſſe parti, quæ JANSENISTARUM dicitur, donec editi ſunt QUA-
„ TUOR ARTICULI GALLICANI de authoritate Pontificis. 2.
„ Tunc Romam ab iis petiiſſe, ut ſe articulis illis opponerent, quod
„ quia facere recuſabant, cœpiſſe eis ROMAM adverſari, atque eos à locis
„ Facultatis aliisque excludere, vel ut excluderentur procurare. 3. Do-
„ minum STEYAERT qui & ipſe tunc inter excluſos erat, viam ſibi
„ ad promotionem aperuiſſe edendo apud Sedem Apoſtolicam profeſ-
„ ſionem de infallbilitate Pontificis, quâ editâ, omnia mox, quæ vo-
„ luit, conſecutum fuiſſe, cæteros autem manſiſſe in hunc uſque diem
„ excluſos. 4. Ubi autem recurrerunt ad Regem ut ſe viâ juris defen-
„ derent, viam juſtitiæ ipſis clauſam fuiſſe ab ELECTORE, agente
„ id potiſſimùm INTER-NUNTIO, tum quòd crederet illos non fa-
„ vere authoritati Pontificis, tum quòd pati nollet ut Eccleſiaſtici re-
„ currerent ad Tribunal laicum etſi ageretur de mero poſſeſſorio. 5.
„ Hinc ortas eſſe præcipuas turbas in Belgio. 6. Mox turbas omnes
„ ceſſaturas, ſi via juſtitiæ aperiatur. 7. Ad hanc aperiendam ut labo-
„ rare dignetur, nos humillimè ſupplicare.

VII. „ Pro Finantiis DD. Lovanienſes IN HUNC ANNUM pro-
„ miſerunt trecentos florenos. DD. Bruxellenſes ducentos. DD. Me-
„ chlinienſes intra paucos dies ſcribent quid collaturi ſint. Ad DD. An-

„ tuerpienſes & Gandenſes ea ſuper re ſcribet D. Hilarius [id eſt Doctor GUMMARUS HUYGENS, juxta Clavem Queſnellianam] pag. 264. & 265.

Fuit hæc *Collatio*, ſivè *Viſitatio*, id eſt, *Congregatio*, quæ flandricè *Ronde* dicitur, habita in pleniſſima forma. Cauſæ Queſnellianæ Impreſſor ex variis cauſis articulo 6. omiſit nomen edere iſtius, de quo fuerat reſolutum, *accedendum eſſe D..... qui nunc eſt Lovanii.* Incipiemus ipſum revelare per partes. Nominis ejus littera initialis eſt B. Hoſpitabatur in platea Cattorum, in ædibus quæ appellantur *de Burggraef.* Erat Primarius Officialis Gallorum, vir celeberrimus. Hunc poſteà acceſſit *Frater Antoninus*, id eſt, noſter Doctor *Zegerus Bernardus van Eſpen*, qui negat ſe eſſe Z. B. V. E. Officium ſuum præclarè adimplevit, negotia commendavit, illiſque Thomaſſinatos Libros ſuos, quibus titulum fecit, JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM, ſplendidè compactos, & in hunc finem per famulum ſuum allatos, ſplendidè obtulit. Si neget; convinci poterit per binos teſtes, qui aderant.

Conſtat etiam de alia Congregatione anni 1702. Locus, qui ad illam celebrandam deſignatus fuerat, nobis eſt incognitus. D. Licentiatus *Ricquaert* poſſet illum, ſi vellet, notum facere. Cùm etenim D. Plebanus Mechlinienſis in morbum incidiſſet, dictus Dominus *Ricquaert* illius nomine requiſivit Doctorem *Hennebel* per litteras Mechliniæ die 29. Aprilis 1702. datas, ut Congregatio ad aliquos dies differretur. Ecce Epiſtolam: *Mechliniæ 29. Aprilis 1702. Admodum Reverende ac Eximie Domine. D. Plebanus noſter die in heſternis veſtris deſignatâ excurrere non poteſt, ad locum in iiſdem memoratum, ratione morbi, quo impeditur, quo minùs deſiderio* AMICORUM *ſatisfiat. Sed cùm ex judicio Medici credatur intra quatuor vel quinque dies ſanitati reſtituendus, paratus eſt feriâ 3. poſt Dominicam 3. poſt Paſcha, in 9. Maii incidente, ad locum conditum ſe ſiſtere in horam nonam matutinam, atque ex nunc ſe monitum habebit, niſi aliter à vobis vel F.* ATHANASIO (Paſtore Sanctæ Catharinæ Bruxellis) *ſtatuatur: de quo tempore certior reddendus eſt. Interim illius & D. Vice-Paſtoris nomine Exim. D. V. ſalutans omni affectu ſubſcribor. Admodum Reverende ac Exim. Domine, totus veſter* J. F. RICQUAERT. Pag. 265.

Doctor *Hennebellus* non defuit muneri ſuo: ſed ſtatim Bruxellas ſcripſit, præfatamque Domini *Ricquaert* Epiſtolam tranſmiſit, ut Congregatio, *la Conference*, juxta Mechlinienſium AMICORUM vota prorogaretur in nonam Maii. En verba.

Monſieur, vous verrez par la lettre de Mr. RICQUAERT *ci-jointe, comme* LES AMIS *ſouhaitent que* LA CONFERENCE *ſoit differée juſqu'au 9. Mai:*

Je vous prie d'avoir la bonté d'en aviſer Mr. le Curé & LES AMIS *de Bruxelles. Mr. Janſſens vous ſaluë, & il eſt arrivé heureuſement à Gand avec ſon bagage, & a commencé ſa Reſidence étroite. Il ſe recommande en vos priéres, & moi, qui ſuis de tout mon cœur Monſieur tout à vous*, ſignatum erat, DU TIL, id eſt, juxta prædictam Clavem, HENNEBEL. Pag. 265.

Siſtemus in teſtimonio generali, ex quo ſolo conſtabit quòd AMICI aſſueverint Congregationes facere. En verba ejuſdem Doctoris *Hennebel* excerpta ex litteris, quas die 8. Februarii 1703. dedit : *Ne doutez pas, Monſieur, que vos lettres ne ſoient pas communiquées aux* AMIS. *Quand il y a quelque choſe de particulier dans les lettres de Rome*, NOUS NOUS CONGREGEONS, ET NOUS LISONS TOUTES LES LETTRES ENSEMBLE. Pag. 266.

Age nunc, per me licet, Conſultiſſimus *D. Henricus Malcorps* omnes ſuæ praxis vires explicet, & doceat nos, ſi poteſt, quomodò hæc omnia in Belgio, & præſertim Lovanii acciderint ſine *Congregationibus* : Et ut illud confidentiùs præſtet, placidè recordetur, quoties, & quàm diligenter *Amici* anno 1707. ſeſe mutuò invenerint in Collegio Standonckano, tempore litis contra Patrem Deſirant motæ. Non me latet quòd dicti Collegii Præſes Dominus *Paindavein* in hortulo ſuo flores coleret exquiſitiſſimos. Scio autem, & per teſtes omni exceptione majores poſſum probare, quòd *Amici* viſi fuerint illic in eodem numero, poſtquam flores marcuerant, & quòd ipſe *Henricus Malcorps* intraverit, Clavi utens per poſticum. Non fiebant illic *Circuitus*, ſed *des Conferences*, *Collationes*, *des Aſſemblées*, quas egò latinè pergam appellare *Congregationes*.

Et ut Concordantiæ decimæ-ſextæ, cui titulus, DE AMICIS, imponamus magnum diem, non repetemus verba præfatæ Epiſtolæ Domini RICQUAERT, *quo minùs deſiderio* AMICORUM *ſatisfaciat*. Nec item verba prioris Epiſtolæ Hennebellianæ, *comme les* AMIS *ſouhaitent que la Conference ſoit differée*: Et infrà, *les* AMIS *de Bruxelles*. Nec denique verba ejuſdem in poſteriori Epiſtola, *communiquées aux* AMIS. Siſtemus in Clavi Queſnelliana, ubi pag. 320. generatim ſtatuitur, quòd Janſeniſtæ vocentur, *les Cavaliers. Les Amis. Les Amies des Amis*. Pergat *D. Henricus Malcorps*, pergat. Officium gerit, licèt manuale, per quod *formandæ juventuti Præpoſitus eſt*. Intelligent Parentes filiorum, qui Lovanium ſtudii causâ mittuntur, quòd hi nullam difficultatem paſſuri ſint, quamdiù *Henricus Malcorps* hoc ſuo officio fungetur, tametſi *Amici* fierent.

PERORATIO AD LECTOREM.

JUdicabis, Lector Catholice, jurenè, an injuriâ D. Henricus Malcorps ſuas ad Concordantiam reſponſiones, paulò ante finem concluſerit hiſce verbis: *Ubi jam conſtabat, Librum Reſolutionum cum annexis Epiſtolis confictum eſſe, ſtultum fuiſſet illins Concordantiam cum Epiſtolis Domini Graſper examinare, quam ſimiliter fictam eſſe oportebat.* Si Pater Deſirant publicaſſet, Concordantiam quæ fuerat defenſionum ejus potiſſima pars, non fuiſſe examinatam, ſtatim exclamaſſent ad calumnias. Fuiſſet ipſi crimini verſum, vel ſuſpicari, Concordantiam examinatam non fuiſſe. Habemus autem Adverſarios confitentes, hoc examen metu incurrendæ ſtultitiæ factum non eſſe. Quandoquidem autem Concluſio finalis diù poſt Sententiam latam typis data fuerit, credi quidem poteſt, Concordantiam exhibitam, viſam, lectamque fuiſſe; cùm verò Adverſarii, præfatam Concluſionem finalem imprimentes, pleniſſimè inſtructi fuerint de omnibus quæ acciderant, evidenter conſequitur, illis perſpectiſſimum fuiſſe, Concordantiam nullibi, & numquam examinatam fuiſſe. Non fuiſſent alioqui auſi generatim effutire, *ſtultum fuiſſet illius Concordantiam cum Epiſtolis Domini Graſper examinare.* Modeſtia ſuggerit, ut tibi, Lector, committamus ſequelas, quæ ex iſta confeſſione reſultant, quæ ſaltant in oculos, atque ſi modo debito extenderentur, in volumen ingens excreſcerent. Janſeniſtarum Dii, de quibus in ſua Concluſione finali articulo 776. loquuntur, novam fabricarunt dementiam, ut *ſtultum* diceretur examinare id quod maximè ad cauſam valebat. Præcipua Patris Deſirant defenſio in eo ſita erat, quòd nullatenùs potuiſſet apprehendere, ſcripta per Petrum Nicolaum Tourteau in menſe Januario 1707. allata, fictionibus fuiſſe obnoxia, eò quòd idem Petrus poſteà in ſubſequenti menſe Februario attuliſſet indubitatas Henrici Graſper litteras, eadem eodem modo continentes. In hunc finem Concordantiam exhibuit, illamque copiosè deduxit. Sed jam tandem diſcimus, quòd non fuerit examinata. Cur autem? *Stultum fuiſſet illius Concordantiam cum Epiſtolis Domini Graſper examinare.* Ergònè ſtultum fuiſſet, examinare accuſati defenſionem? Ergònè ſtultum fuiſſet, examinare an *Henricus Graſper*, Lovanii ſtudens, eadem horrenda ſcripſiſſet in litteris certis, quæ fatebantur contineri in litteris, ut vocant,

&

ſupponunt, ſed non probant, fictis? Ergònè quia aliquis confinxiſſet litteras de conſpiratione in Patriam, contra Statum & Religionem, tutus erit quilibet, qui ſimiles litteras ſcripſiſſet veras? Ergònè ſi litteræ priores fuiſſent fictæ, poſteriores deſiiſſent eſſe veræ? Concordantia ſaltem non potuit ficta dici, tametſi pars una ficta fuiſſet, & altera facta. Concordantia ſemper erat Concordantia. Non igitur debebat malè ſupponi quòd priores litteræ fuiſſent fictæ, ad defendendas poſteriores, ſed quòd poſteriores eſſent certæ, ad verificandas priores. Cùm ergò fateantur, Concordantiam non fuiſſe examinatam, tu Lector examina, & quantùm in te erit, proſpice, antequam Belgium ingemiſcat, & ſe à Romano-Catholica fide defeciſſe miretur.

FINIS.

CENSURA.

HAnc Litterarum Concordantiam eò magis Typis edi poſſe cenſeo, quòd ad publicum quoddam Judicium pertineat, & Controverſiam ad Forum contentioſum deductam contineat. Leodii 17. *Octobris* 1709.

HEN. ROB. STEPHANI
Societatis Jeſu, Examinator Synodalis.

INDEX
CAPITUM.

CAPUT I. *De bino Catalogo fictorum nominum, ab annis aliquot à Janſeniſtis compoſito, ſivè de Clavi Aldenardenſi, quam ſinxerant ad occultandam veram Clavem Quenellianam, quâ fuerunt uſi: & hâc occaſione de prætenſa famoſæ Epiſtolæ de* 10. *Januarii* 1707. *& Libri Reſolutionum fictione, nec non de Henrici Graſper litteris, quas agnoſcunt veras eſſe.* pag. 1

Caput II. *De numero & qualitate litterarum D. Henrici Graſper, & de modo, quo detectæ fuerunt.* 6

Caput III. *Quòd ex Cauſa Quenelliana, & litteris Henrici Graſper pateat, Adverſarios perperam exclamare, fortunam, libertatem, famam, atque vitam ſuam per Patrem Deſirant nutaſſe.* 9

Caput IV. *Quòd non Pater Deſirant, ſed Sententia per Adverſarios ipſi inſinuata, illos graviſſimarum pœnarum Reos pronuntiet.* 12

Caput V. *Exhibentur tres faſciculi litterarum Graſper.* 15

Caput VI. *Exhibentur Epiſtolæ Z. B. V. E. cum Libro Reſolutionum, prout eas Petrus Nicolaus Tourteau ad Patrem Deſirant in menſe Januario* 1707. *tulit, & Adverſarii retro Concluſionem finalem ſuam impreſſerunt, anno* 1708. 41

Caput VII. *Notulæ in tres faſciculos litterarum Henrici Graſper, & de Janſeniſtarum ſcopo in illis detecto.* 57

Caput VIII *De Concordantia inter Epiſtolas ſignatas Z. B. V. E. Librumque Reſolutionum in menſe Januarii* 1707. *allatum ex una, & recognitas Henrici Graſper litteras poſteà datas diebus* 16. 20. *&* 23. *Februarii ejuſdem anni ex altera partibus.* 79

Caput IX. *De Janſeniſtarum Congregationibus aliis, in Belgio Regio detectis.* 132

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Concordantia litterarum Z. B. V. E. Lovanii in Januario 1707

Leodium 1709
4 Polem. 736 m
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10688673-0